43299

LIBER

PSALMORVM DAVIDIS

E

SACRA HEBRAEORVM lingua Græcorumq; fontibus, consultis simul orthodoxis interpretibus religiosissimè translatus in sermonem Latinum.

OXONIÆ,
Excudebat Josephvs Barnesivs. 1598.

BODLEIAN

Psal. 1.

BEatus vir ille qui nec ambulavit in consilio impiorum, nec in via peccatorum stetit, nec in conseſſu irriſorum ſedit.

Sed in lege Domini voluntas eius, inque lege eius meditabitur die ac nocte.

Erit hic veluti arbor plantata ſecus rivos aquarum quę fructum ſuum ſuo reddit tempore, cuius folium non defluit: & quodcunque ediderit proſpere cadet.

Non ſic impii, ſed tanquam quiſquiliæ, quas diſpellit ventus.

Idcirco non ſurgent impii in iudicio, neq; peccatores in cœtu iuſtorũ.

Quoniam novit dominus viam iuſtorum, via autem impiorum peribit.

Psal. 2.

QVare cum tumultu Gentes cõcurrunt, & Populi inane meditantur?

Conеurſant reges terræ,& principes unâ conſultant adverſus Dominum & adverſus Chriſtum eius.

Rumpamus vincula eorum, & loræ eorum à nobis abiiciamus.

Qui ſedet in cœlis ridet, Dominus ſubſannabit eos.

Tum loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo terrebit eos.

Ego vero conſtitui regem meum ſuper Sion montem meum Sanctum.

Recenſebo decretum, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

Poſtula à me,dabóque Gentes,ut ſint hæreditas tua:& terminos terræ, ut ſint poſſeſſio tua.

Sceptro ferreo confringes eos,veluti uaſa figulina comminues eos.

Nunc ergo ſapite,ô reges, erudimini iudices terræ.

Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore.

Oſculamini Filium, ne iraſcatur, & pereatis à uia cùm repentè exarſerit furor eius:beati omnes qui ſperant in eo.

Pſal.

Psal. 3.

Oda seu carmen Davidis, quum fugeret metu Absalom filii sui.

QVam multi sunt, ô Domine, hostes mei? quàm multi qui aduersus me insurgunt?

Multi dicunt animæ meæ, Nulla est isti salus in Deo. Sela.

At tu Domine clypeus es pro me, gloria mea, quique caput meum extollis.

Voce mea ad Dominum clamabo, & respondebit mihi de monte sancto suo. Sela.

Ego iacui & dormini, atque euigilaui, quoniam Dominus me suffulcit.

Non metuo à decem millibus populi qui circunquaque me obsident.

Exurge Domine seruа me

Deus meus quoniam percussisti omnes hostes meos in maxillam, dentes impiorum contriuisti.

Domini est salus, super populum tuum benedictio tua. Sela.

Psal. 4.

Carmen Davidis præfecto cantorum ad instrumenta musica.

O Deus iustitia mea, qui me exaudis ad te clamantem, & in angustiis constitutum in latitudinem educis, miserere mei, & exaudi orationẽ meam.

O viri quousque gloriam meam ad ignominiam? quousque diligetis vanitatem, & quæretis mendacium? Sela.

Et scitote quòd Dominus selegerit sibi bonum, Dominus exaudiet quum clamavero ad eum.

Contremiscite, & ne peccetis, cogitate in corde vestro in cubili vestro, & silete. Sela.

Sacrificate sacrificia iustitiæ, & sperate in Domino.

Multi dicunt, Quis det bona videre? leva signum super nos, nempe lucem vultus tui ô Domine.

Dedisti lætitiam in corde meo, à tempore quo frumentum eorum atque mustum eorum aucta sunt.

In

In pace simul iacebo & dormiam, quoniam tu Domine solus es qui me in tuto collocas.

Psal. 5.

Carmen Davidis lyricum præfecto cantorum.

AVsculta verbis meis ô Domine, murmur meum intellige.

Attende vocem clamoris mei rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo.

O Domine mane audies vocem meam, quia mane accommodabo me tibi, & speculabor.

Quoniam tu non es Deus cui placeat impietas, non habitabit tecum malitia.

Non consistent coram oculis tuis insani, tu odisti omnes qui operantur iniquitatem.

Perdes eos qui loquuntur mendacium, virum sanguinarium & fraudulentum aversatur Dominus.

Ego autem fretus multitudine bonitatis tuæ ingrediar domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum

in timore tuo.

Domine, duc me in iustitia tua propter adversarios meos, & muni coram me viam tuam.

Quoniam nihil recti est in ore eius, intimum eorum corruptiones, guttur eorum sepulchrum apertum, lingua sua blandiuntur.

Perage eos reos ô Deus, cadant à consiliis suis, propter multitudinem scelerum suorum propelle eos: nam rebelles in te fuerunt.

Et lætentur omnes qui te fidunt, perpetuo vocibus læris perstrepent, te eos protegente, exultabunt in te qui diligunt nomen tuum.

Quoniam tu benedices iusto ô Domine, veluti lancea cinget eum bona voluntas tua.

Psal. 6.

Carmen Davidis præfecto cantorum ad instrumenta musicæ in octava.

DOmine, ne in furore tuo me arguas, neque in æstu tuo me castiges.

Miserere mei Domine, quoniam debilis

debilis sum: sana me Domine, quoniam contra me facta sunt ossa mea.

Sed & anima mea territa est vehementer, & tu Domine quousque?

Redi Domine, eripe animam meã, propter bonitatem tuam serua me.

Quoniam non est memoria tui in morte, in sepulchro quis te celebret?

Defatigatus sum in gemitu meo, fluctuare facio tota nocte lectum meum, lachryma mea grabbatum meũ liquefacio.

Corrosa est facies mea præ indignatione, atque vetusta facta est propter omnes hostes meos.

Discedite à me quotquot operamini iniquitatem: quoniam Dominus exaudivit vocem fletus mei.

Audivit Dominus supplicationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Pudefient igitur & consternabuntur valde cuncti hostes mei, vertentur & subito pudefient.

Psal. 7.

Arcanum Davidis, quod cecinit Domino de negotiis Chus filii Iemini.

DOmine Deus meus in te confisus sum, serva me ab omnibus qui me persequuntur,& eripe me:

Ne corripiat iste tanquam leo animam meam,dilaceret nemine eripiente.

Domine Deus meus si istud commisi, si est perversitas in manibus meis:

Si ei qui mihi pacis fœdere iunctus fuit,malum rependi, imò si destitui infestantem me absque causa:

Persequatur hostis animam meam, & assequatur, & conculcet in terram vitam meam, & deducat gloriam meam in pulverem. Sela

Exurge Domine in furore tuo, exaltare in commotionibus hostium meorum, & excitare ad me iudicio quod præcepisti.

Et cœtus populorum te circunsteterit, huiusque rei gratia in altum revertere.

Dominus iudicet populos,me quoque iudica, ô Domine,secundum iustitiam meam,& integritatem meam quæ est in me.

Cesset

Cesset quæso malitia impiorum, iustumque dirige, explorator cordiũ & renum ô Deus iuste.

Clypeus meus in Deo est, servatore eorum qui candido sunt pectore.

Deus iudex iustus est, & Deus commovetur indignatione per singulos dies.

Si non conversus fuerit, sed expolierit gladium suum, arcum suum tetenderit, & instruxerit eum:

Et paraverit sibi iacula lethifera, sagittas suas ardentes fabricatus fuerit:

En parturiet vanitatem: nam concepit molestiam, & pariet mendacium:

Foveam excidit & effodit eam: & incidit in foveam quam fecit.

Ærumna quam mihi intendit, recidet in caput eius, & violentia eius, in verticem ipsius recumbet.

Celebrabo Dominum secundum iustitiam eius, & canam nomini Domini altissimi,

Psal. 8.

Carmen Davidis de torcularibus, præfecto cantorum.

DOmine Dominus noster, quàm magnificum est nomen tuum in vniversa terra, ut des laudem tuam supra cælos?

Ex ore infantium & lactentium fundasti robur propter inimicos tuos, ut retundas hostem, & sese vindicantem.

Equidem suspiciam cælos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas, quas tu præparasti.

Ecquid est homo mortalis, ut memoriam eius habeas: & filius hominis, ut eum invisas?

Paululum siquidem est quo Deo inferiorem illum fecisti tanta eũ gloria & decore cinxisti.

Dominum eum operum, quæ manus tuæ paraverunt, constituisti, cuncta eius pedibus subdidisti:

Greges & armenta vniversa, etiam feras sylvestres.

Volucres quæ in aere, & pisces qui in

in mari versantur, & quicquid per maris itinera transit.

Domine Dominus noster, quàm magnificum est nomen tuum in vniversa terra?

Psal. 9.

Carmen Davidis ad erudiendum puellarum chorum præfecto cantorum.

CElebrabo Dominum in toto corde meo, omnia admiranda opera tua narrabo.

Lætabor & exultabo in te, canam nomini tuo, ô Supreme:

Dum agentur hostes mei retrorsum, impingent, & à facie tua peribunt.

Quoniam tu iudicium meum & litem meam iudicasti, sedisti pro tribunali iudex iuste.

Increpuisti Gentes, perdidisti impium, nomẽ eorum aboleviſti in sempiternum.

Vastitates, ô hostis, in vniversum finem habent: urbes excidisti, periit memoria eorum cum ipsis.

At Dominus perpetuo regnat, paravit tribunal suum ad iudicium:

Et is iudicabit orbem in iustitia, & populis ex æquitate ius dicet.

Asylum erit Dominus oppresso, asylum inquam temporibus afflictis.

Te nitentur qui noverunt nomen tuum: non enim deseris, ô Domine, eos qui te studiose quærunt.

Canite Domino qui habitat in Sion, annuntiate in populis consilia eius.

Quoniam requirens sanguines, memor eorum erit, neque obliviscitur clamoris afflictorum.

Miserere mei Domine, respice afflictionem meam quam ab iis qui me odio habent perfero, attolle me de portis mortis:

Vt narrem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion: exultabo in salute tua.

Defixæ sunt Gentes in fovea quã pararunt, reti quod absconderunt irretitus est pes eorum.

No-

Notus factus est Dominus iudicium faciens, in opere manuum suarum irretitus est impius. Higaion: sela.

Relabentur impii ad inferos, omnes gentes quæ obliviscuntur Dei.

Neque enim perpetuò oblivioni dabitur inops, neque vana semper erit expectatio afflictorum.

Exurge Domine, ne prævaleat mortalis, iudicentur Gentes in conspectu tuo.

Præfice illis magistrum, ô Domine, discant Gentes se mortales esse. Sela.

Psal. 10.

Secundum Hebræos hic incipit decimus psalmus.

CVR tam procul absistis ô Domine? cur abscondis te tempore quo affligimur?

In insolentia impii ardet afflictus: comprehendantur in sceleratis consiliis quæ cogitant.

Quoniam laudat impium pro desy-

desyderio animi sui, avarum beatum dicit, blasphemat Dominum.

Impius in altitudine nasi sui nil pensi habet, in omnibus sceleratis cogitationibus suis non est Deus.

Instituta eius cruciatum afferunt, idque omni tempore: alte sublata sunt è conspectu eius iudicia tua, in omnes adversarios suos efflat.

Dicit corde suo, Non nutabo: quia per secula ero absque incommodo.

Os eius periurio, dolis & usura scatet, sub lingua eius afflictio & vanitas.

Sedet in atriis insidians, clám trucidat innocentem, oculi eius ad inopum turbam intenti sunt.

Insidiatur in occulto quemadmodum leo in lustro suo, insidias struit, ut corripiat afflictum: afflictum inquam corripiat, dum in rete suum pertraxerit.

Conteritur, opprimitur, ac cadit viribus eius miserorum turba.

Dixit in corde suo, Deus oblitus est, avertit faciem suam ne vnquam

quam videat.

Exurge ô Domine Deus, attolle manum tuam, afflictorum ne obliviscaris.

Cur enim impius blasphemaret Deum, diceretque in corde suo, te non requisituum?

At vidisti, etenim tu afflictionem & indignationē inueneris, ut des manibus tuis: tibi miserorum turba se committit, qui pupillo soles esse adiutor.

Contere brachium impii, malumque cum impietate eius inquires, nec invenies.

Dominus rex in sempiternum & ultra, Gentes de terra eius interierunt.

Vota pauperū audivisti Domine, tu diriges cor eorum, auris tua illos attender.

Vt vindices pupillum & attritum: ne ultrà mortalis prognatus è terra grassetur.

Psal. 11.

Davi

Davidis carmen præfecto cantorum

IN Domino ſperavi: quomodo di
citis animæ meæ, devolà è mon
veſtro ceu volucris?

Nam ecce impii tetenderunt a
eum, aptarunt ſagittas ſuas ad neru
um, ut integros corde in caligine iu
culentur.

Quoniam retia fracta ſunt, iuſtu
quid fecit?

Dominus in ſacroſancta regia ſu
Domini ſolium in cælis eſt, oculi e
ius inſpiciunt, palpebræ eius filios h
minum explorant.

Dominus probat iuſtum: impiu
autem & violentiæ amantem odit:
nimus eius.

Pluet ſuper impios laqueos igneu
& ſulphur, ventem tempeſtuoſum a
dentem: hæc ſors calicis illorum.

Quoniam iuſtus Dominus iuſtitia
as diligit, rectum vultu ſuo intue
tur.

Pſal. 12.

Carmen Davidis præfecto cantorum ad octavam.

Ser

SErua Domine, quoniam deest be
neficus, quia veraces ac fideles
inter mortales defierunt.

Vana loquuntur quisq; cum prox-
imo suo, labio blando: at corde du-
plici ac diverso loquuntur.

Excindet Dominus omnia labia
falso blandiloqua, linguam grandi-
loquam.

Qui dicunt, Linguis nostris per-
rumpemus: labia nostra nobiscum
sunt, quis dominus noster?

Propter vastitatem afflictorum,
propter gemitum inopum nunc ex-
urgam, dicit Dominus, salutique
restituam, & respirare eum faciam.

Eloquia Domini eloquia munda,
argentum excoctum in catino ter-
reo septies depurarum.

Tu Domine serva illos, custodi hūc
à generatione ista in sempiternum.

Circumquaque enim oberrant im-
pii, quum evehuntur qui inter homi-
nes perditissimi sunt.

Psal. 13.

Præfecto cantorum carmen Davidis.

Quousq;

QVouſq; obliviſcéris mei, ô Domine? num perpetuò? quouſque faciem tuam à me abſcondis.

Quouſque volutabo conſilia in animo meo, laborem quotidiè in corde meo? quouſq; ſuperior me erit hoſtis meus?

Reſpice, reſponde mihi Domine Deus meus illumina oculos meos, ne in morte obdormiam.

Ne dicat hoſtis meus, Prævalui ei: ne geſtiant qui me infeſtant, ſi nutem vero.

At ego tua bonitate nitor, hinc exultat cor meum tua ſalute: cantabo Domino, quoniam rependit mihi.

Pſal. 14.

Davidis, præfecto cantorum.

DIxit ſtolidus in corde ſuo, Non eſt Deus. corrupta & abominanda ſtudia ſectantur, nemo eſt qui quod bonum ſit faciat.

Dominus è cælis ſuper filios hominum proſpexit, ut videret num eſſet qui aut ſaperet, aut ſtudioſus Dei eſſet,

Sed

Sed cuncti defecerant, omnes pariter corrupti erant, nullus erat qui quod bonũ est faceret, ne unus quidẽ.

An non cognoverunt? omnes facinorosi devorant populum meum, ac si panem vorarent, Dominum non invocant.

Illic pavore consternabuntur: nam Deus est in natione iustorum.

Cõsilium afflicti pudefacitis, quòd Dominus sit spes eius.

O vtinam è Sion salus contingat Israeli, ut Dominus reducat captivitatem populi sui, vt lætetur Iacob, gaudeatque Israel.

Psal. 15.

Carmen Davidis.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? quis in monte tuo sancto requiescet?

Qui ambulat integer, & quod iustũ est operatur, quique in corde suo veritatem loquitur.

Non obtrectat lingua sua, nec male facit proximo suo, nec sustinet probro indignè affici vicinum suum:

Con-

Contemptus est in oculis eius re
probus, eos autem qui Dominum t
ment, honorat: quodque iuraveri
etiam si id damnosum sibi fuerit, no
mutat.

Pecuniam suam non exponit a
fœnus, munus adversus innocente
nullum accepit: qui his rebus stud
erit, is in æternum nunquam nut
bit.

Psal. 16.

Insigne aureolum Davidis.

SErva me Deus, quoniam in te sp
travi.

Dixisti ô anima mea Domino, D
minus meus es tu, bonum meum n
hil ad te.

Sanctis qui in terra sunt, & pr
claris, iis toto animo delector.

Multiplicent sanè idola sua, cu
de sectentur alienum, ego tamen n
libabo libamina eorum quæ sunt
sanguine, neque assumam nomi
eorum in labia mea.

Dominus est portio partis mea
calicis mei, tu sortem, mea m sustin
Fu

Funiculi mensorii ceciderunt mihi in amœnis locis, quin insignis mihi hæreditas obvenit.

Laudabo Dominum qui mihi consuluit, sed & renes mei me noctu erudiunt.

Propono mihi Dominum perpetuo à dextris enim mihi est, ne nutem.

Propterea gaudebit cor meum, & exultabit lingua mea: quin & caro mea in tuto quiescet.

Neque enim deseres animam meam apud sepulchrum, neque permittes ut beneficus tuus videat foveam.

Ostendes mihi semitam vitæ, satietas gaudiorum in conspectu tuo est, iucunditates in dextra tua perpetuo.

Psal. 17.

Precatio Davidis.

AVdi Domine iustitiam, attende clamorem meum, ausculta precationi meæ de labiis minime dolo prodeunti.

Prodeat à conspectu tuo iudicium me-

meum, oculi tui quæ recta sunt
pendant.

Exploraſti cor meum, inviſiti n
cte, excoxiſti me, nihil deprehen
ſti: cogitationes meæ os meum n
ſunt tranſgreſſæ.

Ego in humanis negotiis prop
uerbum labiorum tuorum cauiſſe
tas graſſatoris.

Firma greſſus meos in orbitis tu
me pedes mei nutent.

Ego te inuoco, nam ſoles mi
annuere ô Deus: præbe aurem tua
mihi, exaudi ſermonem meum.

Inſigniter oſtende mihi bonitate
tuam, tu qui ſeruas dextera tua ſp
ſantes in te abiis qui inſurgunt

Cuſtodi me ut oculi pupillam,
umbra alarum tuarum me abſcon

Ab impiis qui me deuaſtare
lent, ab hoſtibus meis qui anim
meam circunuallant.

Pinguedine ſua concluſerunt,
ſuo faſtoſa loquuntur.

Modò itinera noſtra obſiden
culos ſuos intendunt, ut tendan
terra.

Vt leo est qui prædæ inhiat & sicut leunculus qui in lustro latitat.

Surge Domine, anteuerte illum, deiice illum, libera animam meam ab impio, qui gladius tuus est.

A mortalibus istis, qui manus tua sunt, ô Domine à mortalibus huic seculo addictis qui partem suam in hac vita expetunt, & de tuo penu imples ventrem eorum, ut satis habeant filii eorum, sitque quod nepotibus suis relinquant.

At ego in iustitia contemplabor faciem tuam, satiabor quum evigilavero, specie tua.

Psal. 18.

Carmen præfecto cantorum, servi Domini, Davidis, qui loquutus est Domino verba carminis huius, eo die quo liberavit eum Dominus de manu cunctorum inimicorum eius, de manu Saulis. Et dixit,

EX intimis uisceribus diligam te ô Domine robur meum.

Dominus petra mea, propugnaculum meum, & eruptor meus:

Deus meus rupes mea, illo nitar, clypeus meus, & cornu salutis meæ, arx mea.

Dominum laude dignum inuocabo & ab inimicis meis seruabor.

Circundederant me funes mortis, & torrentes quidam hominum perditorum terruerant me:

Circumcinxerant me funes inferorum, laquei mortis anteverterant me:

Dum itaque angebar, invocabam Dominum, & ad Deum meum clamabam, & exaudivit de templo suo vocem meam, ut primùm clamor meus ad aures eius pervenit.

Commovebatur ac contremiscebat terra, fundamenta montium concutiebantur & conquassabantur, quoniam ipse irascebatur.

Ascendebat fumus è naribus ipsius, & vorans ignis ex ore eius, ita vt de eo carbones incenderentur.

Flectebat cælos atque descendebat, sub pedibus eius caligo.

Vehebatur super cherub, ac volabat, latus super alas venti.

Circunquàq; iuxta se tenebras po-

suc-

fuerat latibulo suo instar tabernaculorũ, aquas atratas, densissimas nubes.

De fulgore qui coram eo erat, nubes eius pertransierunt, grando & carbones igniti.

Tonabat è cælis Dominus, & Altissimus edebat uocem suam, grandinem atque carbones ignitos

Sagittas suas eiaculabatur, dissipabatq; eos: & fulgura multa quibus consternatos eos reddidit.

Tum apparebant profundissima aquarum receptacula, retegebantur orbis fundamenta ab increpatione tua Domine, à respiratione flatus nasi tui;

E sublimi demissa manu arripiebat me, atque ex aquis uehementibus extrahebat.

Eripiebat me ab hostibus potentibus, de bsoribus meis qui me superiores erant,

Qui me tempore calamitatis meæ præuerterant: at Dominus fuit mihi fulcrum.

Educebat me in locum spatiosum, eripiebat me: fauebat enim mihi.

Rependebat mihi Dominus iuxta iustitiam meam, & iuxta puritatem manuum mearum mihi retribuebat.

Observaveram enim vias Domini, neque impiè à Deo meo defeceram.

Coram me enim cuncta eius instituta teneo, & mores eius à me non abiicio.

Integrè & candidè versor coram illo, & servo me ne quid pravi designem.

Rependit itaque mihi Dominus iuxta iustitiam meam, & iuxta puritatem manuum mearum quæ fuit coram oculis eius.

Qui bonitati studet, ei benignè facis: & erga virum simpliciter integrũ, integrum te exhibes.

Cum candido candidè agis: cum eo vero qui pravus & incuruus incedit, tu quoque perversè incedes.

Etenim populum afflictum tu servas, & oculos sublimes deprimis.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Dominus Deus meus tenebras meas illustrat.

Quoniam in te militares cuneos per-

perrumpo, & in Deo meo murum tranſilio.

Via Dei integra eſt, eloquium Domini repurgatum: ſcutum eſt omnium in ſe ſperantium.

Quis enim Deus præter Dominũ? aut quis eſt petra præter Deum noſtrum?

Deus eſt qui me inſtruit heroica virtute, & viam meam expeditam facit.

Pedes meos pares facit pedibus cervarum, & in editis meis me collocat.

Inſtruit manus meas ad pugnam: datque ut arcum chalybeum brachiis meis confringam.

Tu protendis mihi clypeum ſalutis tuæ, dextera tua ſuffulcit me, & ex mãſuetudine tua auguſtũ me reddis.

Dilatas paſſum meum ſubtus me, ne vertebræ meæ vacillent.

Perſequebar inimicos meos, & aſſequebar eos: nec revertebar donec eos internecioni darem.

Concido eos quo minus ſurgere poſſint, cadantq; ſubtus pedes meos.

Instruis me ad bellum virtute here
ca, prosternis sub me quotquot co
tra me insurgunt.

Efficis ut terga vertant mihi hos
mei, & ut perdam osores meos.

Clamabant, nec erat servator: a
dominum, nec respondit eis.

Contundo eos ut puluerem an
ventum, ut lutum platearum eos c
minuo.

Tu eripis me de contentionibus p
puli, & constituis me caput Gentiu
populus quem non noui servit mihi

Mox ut auribus percipiebant, ob
quebantur mihi, filii exteri menda
cer se mihi subiiciebant.

Alienigenæ marcescebant, pa
bantq; in penetralibus suis.

Vivat Dominus, & laudetur qui e
petra mea, altus vehatur Deus salu
meæ.

Deus est qui donat ut ulciscar m
& subiicit mihi populos.

Qui educit me ex hostibus mei
tu ô Domine in sublime ducis me
his qui contra me insurgunt, ab eo
ro qui mihi vim & iniuriam intent
eripis me.

Han

Hanc ob causam celebrabo te in Gentibus ô Domine, & nomini tuo canam,

Propter magnitudinem salutis qua regem tuum ditas, & beneficiis prosequeris christum tuum Davidem, & semen eius in perpetuum.

Psal. 19.

Carmen Davidis præfecto cantorum.

Cæli enarrant gloriam Dei: & extensio, opus manuum eius annuntiat.

Dies diei succedens eloquitur sermonem, & nox nocti indicat scientiam.

Non est illis sermo, non verba, neque auditur vox eorum:

In omnem tamen terram exivit regula eorum, & in fines orbis terræ, verba eorum: soli posuit tentorium in eis.

Et is velut sponsus ex umbraculo suo prodit, lętus velut heros quispiam ad decurrendam viam.

Ab extremo cælorum egressus eius, recursus eius usq; ad extrema eo-

rum, nec est qui se ab æstu illius abscondat.

Lex Domini integra est, convertens animam: testimonium Domini verum, imperitis sapientiam suppeditans.

Decreta Domini recta sunt, corexhilarantia: præceptum Domini repurgatum, illuminans oculos.

Timor Domini mundus, perstans perpetuò: iudicia Domini vera, simulque iusta:

Magis expetibilia quàm sit aurum vel præstantissimum atque plurimũ, & dulciora melle & favo stillantibus.

Etiam servus tuus perspicuè illis admonetur, in illorum observantia multa merces est.

Errores quis animadvertat? ab occultis meis repurga me.

Quin & flagitia averte à servo tuo, ne dominentur mihi: tum integer ero, & innocens à quovis grandiori scelere.

Sint verba oris mei, & meditatio cordis mei grata in conspectu tuo, ô Domine,

Domine, petra mea & uindex meus.

Psal. 20.

Carmen Davidis præfecto cantorum.

EXaudiat te Dominus quum in angustia fueris, in tuto collocet te nomen Dei Iacob.

E sanctuario suo auxilium tibi ferat, atque è Sion te suffulciat.

Memor sit omnium munerum tuorum, & holocaustum tuum pingue æstimet. Sela.

Det tibi iuxta cor tuum, & omne concilium tuum perficiat.

Ovabimus in salute tua & in nomine Dei nostri signa triumphantes erigemus: perficiet enim Dominus omnes petitiones tuas.

Nunc agnosco quod Dominus unctum suum servarit, quodque exaudierit eum de cælis ex sanctuario suo virtute saluifica dexteræ suæ.

Hi in curribus, illi in equis fidant, nos autem nominis Domini Dei nostri mentionem faciemus.

Illi succubuerunt & corruerunt: nos autem perstitimus & corroborati sumus.

sumus.

Dominus seruabit regem: quo die
inuocauerimus, nos exaudiet.

Psal. 21.

Carmen Dauidis præfecto cantorum.

DOmine in virtute tuâ lætabitu
rex & in salutari tuo quàm im
pendio gestiet.

Desiderium cordis sui dedisti ei, &
quæ precatus est labiis suis, non ne
gasti. Scla.

Nam benedictionibus optimis pre
veniisti eum, imposuisti capiti eius c
ronam auream.

Vitam petiit abs te, & dedisti il
lon gitudinem dierum in sæculum
ultra.

Magna est gloria eius propter sa
lutem quam ei contulisti, honorem
splendorem posuisti super eum.

Quoniam posuisti eum vt omni
nere bonorum perpetuò affluat, ex
lariſti eum gaudio vultus tui.

Nam rex fidit Domino, & in bon
tate Altissimi non nutabit.

Offendit manus tua omnes hos
tu

tuos, dextera tua offendit omnes qui te odio habuerunt.

Velut accensum fornacem reddidisti eos in tempore iræ tuę, Dominus in ira sua devoravit eos & ignis consumpsit eos.

Fructum eorum è terra perdidisti, & semen eorum de filiis hominum.

Quoniam moliti sunt adversus te malum, cogitarunt scelus quod perficere non poterant.

Posuisti enim illos humerum, & neruo tuo in faciem eorum collimasti.

Evehere Domine virtute tua, canemus & celebrabimus potentiã tuam

Psal. 22.

Præfecto cantorum carmen Davidis de cerva matutina.

DEus meus, Deus meus, cur deserviſti me, vt longè abes à salute mea, à verbis rugitus mei?

Deus meus invoco per diem, & non respondes: per noctem, nec est silentium mihi.

Et tu sanctus sessor laudum Israelis,

In

In te ſperaverunt patres noſtri, ſperaverunt, & liberaſti eos.

Ad te clamaverunt, & liberati ſunt: te fidebant, neque pudefacti ſunt.

Ego autem vermis ſum, & non vir: opprobrium hominum, & contemptus à populo.

Quicunque me aſpiciunt ſubſannant me, diſtendunt labia movent caput: dicentes.

Retulit omnia ad Dominum, eripiat eum, liberet eum quoniam deamat eum.

At tu is es qui me ex utero extraxiſti, in te fiſus ſum pendens adhuc ab uberibus matris meæ.

In te conjectus ſum à partu, ab utero matris meæ Deus meus es tu.

Ne ſubducas te longiùs à me, quoniam afflictio adeſt, nec eſt qui adiuvet.

Tauri multi circundederunt me prævalidi ex Baſan vndique cinxerunt me.

Aperverunt contra me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

Effuſus ſum velut aqua, diſſocian-

tur

tur omnia ossa mea, factumque est cor meum sicut cera, liquefactum intra viscera mea.

Exarvit ut testa virtus mea, lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis redegisti me.

Nam circundederunt me canes, cœtus malorum cinxit me, ceu leo manus meas & pedes meos.

Numerarem omnia ossa mea, hi vero cum voluptate intuentur & aspiciunt.

Partiti sunt sibi vestimenta mea, & de veste mea sortiti sunt.

Sed tu ô Domine, ne sis procùl ô virtus mea, vt me adiuves propera.

Eripe à gladio animam meam, de manu canis unicam meam.

Serva me ab ore leonis, & à cornibus unicornium eripe me.

Narrabo nomen tuum fratribus meis, in media congregatione laudabo te.

Qui timetis Dominum laudate eum, omne semen Iacob celebrate eũ metuite eum omne semen Israelis.

Quia non despexit nec aversatus

est

tus est adflictionem pauperis neque avertit ab eo faciem suam, sed quùm clamaret ad eum, audivit.

De te est laus mea in cõcione magna, vota mea coram timentibus ipsum persoluam.

Comedent humiles, & satiabuntur, laudabunt Dominum qui quærunt eum, vivet cor vestrum in sæculum.

Memores erunt, & convertentur ad Dominum omnes fines terræ, prosternent se ante faciem tuam omnes familiæ Gentium.

Quia Domini est regnum, & ipse gentibus dominatur.

Comedent & adorabunt omnes pingues terræ, coram eo genua flectent omnes qui in pulverem descendunt, quiâ animam suam non in vita servavit.

Posteritas serviet ei, ac censebitur Domino ad nationem.

Venient & annuntiabunt populo nascituro iustitiam eius quam præstitit.

Psal. 23.

Carmen

Carmen Dauidis.

DOminus pastor meus est, non egebo.

In pascuis herbidis accubare me facit, & ad aquas tranquillas me minat.

Animam meam reuocat, ducit me in orbitis iustitiæ propter nomen suum.

Etiam si eundum mihi sit per vallem umbræ mortalis, nihil mali time. bestiam tu mecum es, uirga tua & pedum tuum ipsa me consolantur.

Instrues coram me mensam è regione hostium meorum, unguento caput meum delibutum reddes & calix meus erit exuberans.

Sed & bonitas & benignitas tua prosequetur me cunctis diebus uitæ me, & habitabo in domo Domini longissimis diebus.

Psal. 24.

Carmen Dauidis.

DOmini est terra ipsa, & quid. quid ea cõtinet: orbis & qui eum inhabi-

inhabitant.

Ipse enim super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam.

Quis conscendet montem Domini? aut quis in loco sanctuarii eius consistet?

Qui innocentes habet manus, & cor repurgatum, qui animum suum ad vanitatem non extulit, inque fraudem non iurat.

Is accipiet benedictionem à Domino, & iustitiam à Deo servatore suo.

Hæc natio est eorum qui eum inquirunt, Iacob sunt qui quærunt faciem tuam. Sela.

Tollite ô portæ capita vestra, attollimini fores sempiternæ, & ingredietur Rex ille gloriosus.

Quis est ille Rex, ille gloriosus? Dominus fortis & heros, Dominus virtute bellica insignis.

Tollite ô portæ capita vestra, attollimini fores sempiternæ, & ingredietur Rex ille gloriosus.

Quis est ille Rex, ille gloriosus?

Do-

Dominus exercituum, is Rex est ille glorioſus. Sela.

Pſal. 25.

Davidis.

AD te ô Domine animum meum attollo.

Deus meus in te ſpero, ne pudeſiam, ne lætentur de me inimici mei.

Quin & non pudefient quicunque te expectant: pudefient autem hi qui prævaricantur abs re.

Vias tuas notas mihi fac ô DOMINE, & aſſuefacito me ſemitis tuis.

Duc me in veritate tua, & aſſuefac me: quoniam tu DEUS ſervator meus es, te expecto tota die.

Memor ſis miſerationum tuarum, ô DOMINE, & bonitatis tuæ, quoniam à ſeculo ſunt.

Peccatorum adoleſcentiæ meæ ac ſcelerum meorum ne ſis memor, memor autem mei ſis iuxta benignitatem tuam, propter bonitatem tuã ô DOMINE.

Bonus & rectus eſt DOMINUS, propterea

terea docebit peccatores in via.

Diriget mansuetos in iudicio, & suefaciet mansuetos viæ suæ.

Cunctæ vię Domini benignitas & veritas iis qui fœdus & testimonia eius observant.

Propter nomen tuum ô Domine propitius fis iniquitati meæ: multa nim est.

Quicunque timet Dominum, hu diriget in via quam eliget.

Animus eius in bonis morabitu & semen eius hæreditariò possidebi terram.

Secretum Domini timentibus sum, & fœdus suum illis notum cier.

Oculi mei perpetuò ad Dominu ille enim explicat è reti pedes m os:

Respice in me, & miserere mei unicus & afflictus sum:

Angustiæ cordis mei latissimæ f ctæ sunt, ex angustiis meis educ me.

Aspice afflictionem & molestiã m am, & aufer omnia peccata mea.

Cons

Conly dera hostes meos: nam multi sunt & violento odio odiunt me.

Custodi animam meam & libera me: ne pudefiam, quandoquidem spē in te colloco.

Integritas & æquitas custodiant me, quia te expecto.

Redime ô Deus Israelem ex omnibus afflictionibus suis

Psal. 26.

Davidis.

IVdica me Domine, quoniam innocenter ambulavi: & Domino confisus non nutabo.

Explora me Domine & tenta me, excoque renes meos & cor meum.

Nam bonitas tua mihi ob oculos est & ambulo in veritate tua.

Non sedeo cum hominibus vanis, & ad fucatos non ingredior.

Cœtum malorum odi, & cum impiis non sedebo.

Lauabo in innocentia manus meas, & circundabo altare tuum Domine.

Vt edam vocem laudis, & enar-

rem

rem omnia mirabilia tua.

Domine dilexi habitationem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ.

Ne colligas cum peccatoribus animam meam, & vitam meam cum sanguinariis:

In quorum manibus scelus præditatum est, & dextera eorum plena est corruptorio munere.

At ego innocenter ambulo, redime me, & beneficus mihi esto.

Pes meus in recto constat: in cœtibus laudabo Dominum.

Psal. 27.
Davidis.

DOminus lux mea & salus mea, quonam timerem?

Dominus robur vitæ meæ, à quo expauescerem?

Dum aciem instruerent aduersum me mali, ut devorarent carnem meam hostes mei atque inimici mei, ipsi impegerunt & corruerunt.

Si obsideant me castra, non timebit cor meum: si ingruerit aduersum me prælium, hac re nitar.

Vnum

Vnum quiddam postulavi à domino, idque requiram, nempe ut habitē
di in æde Domini cunctis diebus vitæ
ori meæ, ut videam amœnitatem domi-
ni, & lustrem templum eius.

Quoniam abscondet me in taber-
cu naculo suo, in die adversitatis: occulet
me in abdito tentorii sui, in rupem ex
em tollet me:

len Et nunc extollet caput meum su-
per hostes meos qui circum me sunt,
lim & sacrificabo in tentorio eius sacri-
ficia cum iubilo, canam & hymnum
cœdicam domino.

Audi ô Domine uocem meam qua
te inuoco: beneficus esto mihi & ex-
audi me.

a, i Tibi dixit cor meum,
O uultus mei, quærite Dominum:
qu faciem tuã Domine placare conabor

Ne abscondas ergo faciem tuam
sum me, neque auerseris in ira seruum
meum: tu es auxilium meum, ne dere-
, ip inquas me, neque deseras me Deus
eruator meus.

ime Nam ubi pater meus & mater me.
sum destituunt me Dominus colligit me.

Doce

num

Doce me Domine viam tuam, & ducito me in semita recta, propter eos qui mihi insidiantur.

Ne permittas me libidini eorum qui mihi infesti sunt: consliterunt enim contra me testes mendaces, & qui efflat iniuriam.

Si non credidissem me visurum cū voluptate bonum Domini in terra viventium.

Expecta Dominum, forte sit & roboretur cor tuum, & expecta Dominum.

Psal. 28.

Davidis.

AD te Domine ô petra mea clamo, ne obsurdescas: ne si fortè obmutescas, similis reddar his qui in foveā descendunt.

Exaudi vocem deprecationū mearum dum clamo ad te, dū attollo manus meas ad adytum sanctuarii tui.

Ne me reputes inter impios, & inter eos qui patrant iniquitatem: qui cum proximis suis pacificè quidem loquuntur, sed malum meditātur cordibus suis.

D

Da illis iuxta opus suum, & secundum malitiã studiorum suorum, secũdum opus manuum eorum redde illis redde illis talionem dignam illis.

Quoniam non adverterunt animũ operationibus Domini, neque ad facturam manuum eius, diruet eos, & non extruet eos.

Laudandus Dominus, quoniam exaudivit deprecationem meam.

Dominus robur meum & clypeus meus, in ipso speravit cor meum, & adiutus sum: hinc gestit cor meum, & cantico meo eum celebro.

Dominus robur est illorum & robur salutum uncti sui ipse est.

Serva populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: pasce eos & evehe illos in sempiternum.

Psal. 29.

Carmen Davidis.

TRibuite Domino qui virtute præstatis, tribuite Domino gloriam & robur.

Tribuite nomini Domini gloriam, adorate Dominum in decore sancto.

Vox

Vox Domini ſuper aquas, Deus glorioſus tonat, Dominus ſuper aquas multas.

Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringit cedros, cõfringit inquam Dominus cedros Libani.

Et ſubſilire facit eas ſicut vitulum, Libanum quoque & Sirion ſicut filiũ unicornium.

Vox Domini diſſectas flammas ignis eiaculatur.

Vox Domini parturire facit deſertum, parturire facit Dominus deſertum Cades.

Vox Domini partutire facit cervas, renudat ſylvas: at in templo eius cũcti gloriam dicunt.

Dominus ſedet in diluvio, ſedetq; Dominus rex in æternum.

Dominus dat fortitudinem populo ſuo, Dominus populum ſuum bonitate & pace proſequitur.

Pſal. 20.

Carmen dedicationis ædis eda Davidi

Exal

EXaltabo te ô Domine quòd me attriviſti, at non paſſus es ut de me hoſtes mei gauderent.

Domine Deus meus clamavi ad te, & ſanaſti me.

O Domine revocaſti ab inferis animam meam, reſtituiſti me quominus in foveam deſcenderem.

Canite Domino hymnum, qui experti eſtis bonitatem eius: celebrem reddite memoriam ſanctitatis eius:

Nam momentanea eſt ira eius, vita vero in beneplacito eius ad veſperam accedat fletus licet, ſub auroram tamen redit lætitia.

Equidem ego dicebam quũ eſſem in fœlicitate mea, In ſempiternum nunquam nutabo.

Tu enim Domine in benevolentia tua collocaveras robur monti meo protinus ut abſcondiſti faciem tuam, conturbabar.

Hic ad te Dominum clamabam, & ad Dominum meum deprecabar,

Quis uſus eſt ſanguinis mei ſi in foveam deſcenderim? nũ celebrabit te, aut veritatem tuã annũtiabit pulvis?

Exaudi me Domine, & beneficus esto mihi, ô Domine sis mihi auxilio.

Conuertisti mihi planctum meum in chorũ, soluisti mihi saccum, & amiciuisti me gaudio.

Propterea canet tibi quisq; gloriam, & non silebit: Dominus Deus meus in æternum celebrabo te.

Psal. 31.

Prefecto cantorum carmen Dauidis.

In te ô Domine spero, ne unquam finas me pudefieri, eripe me in tua iustitia.

Inclina ad me aurem tuam, ilicò libera me: sis mihi rupes firma, domus munita ut me serues.

Nam petra mea & arx mea tu es: ideò propter nomen tuum ducito & minato me.

Educ me è reti quod absconderũt mihi: quoniam tu es robur meum,

In manum tuam committo spiritũ tum: redemisti enim me ô Domine Deus uerax.

Odio habui obseruãtes funes uanitatis: ego autem in Domino speraui

Exul-

Exultabo & gaudebo de bonitate tua, qui respexisti afflictionem meam, & in angustiis animam meam agnouisti.

Nec in manu hostis me inclusisti, sed statuisti pedem meum in loco spatioso.

Beneficus esto mihi Domine, nam angustia mihi est: corrosus est præ indignatione oculus meus, anima atque uenter meus:

Detrita est præ dolore uita mea, & anni mei præ gemitibus: corruit præ iniquitate robur meum, & ossa mea contabuerunt.

A cunctis hostibus meis probrum factus sum, maximè etiam vicinis meis, familiaribus meis fui horrori & qui me uiderunt foris a me fugerũt

Obliuioni datus sum ex corde sicut mortuus: factus sum ueluti uas quod perit.

Audiui enim crimina mihi à multis intendi, formido undique me circunstetit, dum illi vnà contra me cõsultarent, & ut caperent animam meam callidè cogitarent.

Ego verò in te ſperavi ô Domine, dixi, Deus meus es tu.

In manu tua ſunt tempora mea, libera me de manu inimicorum meorum,& à perſecutoribus meis.

Illumina vultum tuum ſuper ſervũ tuum,ſalvum me fac per bonitatem tuam.

Domine ne patiaris me pudefieri, quoniam te invoco: pudefiant potiùs impii,& compeſcantur apud inferos.

Obmuteſcant labia mendacia,quę loquuntur veteratoriè, ſuperbè & cõtemptim advetſus iuſtum.

Quàm ampla ſunt, quæ metuentibus te,bona repoſuiſti, & quæ iam effeciſti coram filiis hominum qui in te ſperant.

Abſcondes illos in latibulo faciei tuæ à conſpirationibus cuiuſcunque, abſcondes eos in tabernaculo à contentione linguarum.

Laudaudus Dominus:nam inſigniter bonitatem ſuam mihi in urbe munita oſtendit.

Ego cùm præceps fugerem, cogitabam, Proiectus ſum abs te: at tu ex

exaudisti vocem deprecationis meę, quum ad te clamarem.

Diligite Dominum omnes boni eius: fideles tuetur Dominus, & repędit cumulatè superbè agenti.

Estote fortes, roborabit ille cor vestrum, quicunque speratis in Domino.

Psal. 32.

Erudiens carmen Davidis.

BEatus is est qui exoneratus est transgressione, & cuius peccatum tectum est.

Beatus homo cui Dominus iniquitatem non imputat, nec est in spiritu eius dolus.

Dum quotidiè nunc tacitus mecum cogito, nunc uoce infremo, contabuerunt ossa mea.

Nam dies noctesque ingrauescebat super me manus tua, uersus est succus meus in siccitates æstiuas. Sela.

At postquam peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatē meā non celaui, posteaquam cogitāram, Fatebor

bor contra me transgressionem meam Domino: tu protinùs remisisti iniquitatem peccati mei. Sela.

Idcircò orabit ad te quisquis est bonus, in tempore dum invenire licet: equidem inundatio aquarum immanium, ad eum non pertinget.

Tu latibulum es mihi, idcircò ab afflictione custodies me: iubilis quibus ovare solent elapsi, circuncinges me. Sela.

Erudiam te, & docebo te viam qua gradiaris, oculo meo tibi consulam.

Ne sitis velut equus & mulus, quibus non est intellectus, quorum maxillas lupato ac fræno nisi constringas, tibi non appropinquant.

Multi dolores impium, nitentem autem Domino beneficentia circundabit.

Gaudete in Domino, & exultate iusti: iubilate quotquot estis recto corde.

Psal. 33.

OVate iusti in Domino, laus decet rectos.

Cele-

Celebrate dominum cithara, nablo, decachordo psallite ei.

Canite ei carmen novum, suaviter ludite instrumentis muficis, cũ clangore tubæ:

Quoniam rectum est verbum domini, & omne opus eius firmum.

Amat iustitiam & iudicium, terra bonitate eius repleta est.

Nam verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum:

Congregat aquas maris ut cumulũ, reponit in penetralia abyssos.

Timeat igitur dominum omnis terra, metuant inquam ab eo vniversi qui habitant orbem:

Quia quum ipse dicit, fit: & quùm præcipit, extat.

Dominus irritum facit consilium Gentium, & cogitationes Populorum dissipat:

Consilium autem domini in sempiternum perstat, cogitata cordis eius per omnia sæcula.

Fœlix ea gens quæ dominum pro Deo habet, & populus quem ille

sibi loco possessionis hæreditariæ elegerit.

E cœlis despicit Dominus, intuetur omnes filios hominum:

De firmo domicilio habitationis suæ cunctos habitatores terræ speculatur.

Ipse omnium corda pariter finxit, propterea intelligit omnia opera eorum.

Haud seruatur rex, eò quòd multum habeat exercitum: heros nequaquam per multam virtutem suam pericula euadit.

Res fallax est equus ad præstandam salutem: quamlibet multo præditus robore, neutiquam eripiet.

Ecce oculus Domini intendit in eos qui se reuerentur, & ad eos qui bonitatem eius expectant;

Vt liberet à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Animæ igitur nostræ expectent Dominum: ipse enim est auxilium, nostrum & clypeus noster.

Nam in ipso gaudebit cor nostrum, eò quòd sancto ipsius nomine nitimur.

Sit

Sit bonitas tua ô Domine super nos, quemadmodũ abs te pendemus

Psal. 34.

Davidis, cum mutaret habitum suum ante Abimelech, quumque eum expelleret, atque is abiret.

LAudabo Dominum omni tempore, semper laus eius in ore meo.

In Domino gloriabitur anima mea. audient afflicti, & lætabuntur.

Magnificate Dominum mecum, & extollamus unà nomen eius.

Anxiè quærebam Dominum, & exaudiuit me: ex omnibus pauoribus meis eripuit me.

Respicient ad illum, & confluent: nec suffundentur pudore facies eorũ.

Afflictus iste inuocauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus angustiis eius seruauit eum,

Castra figit angelus Domini circum eos qui ipsum timent & eripit eos,

Gustate & videte quòd bonus,

sit Dominus: fœlix ille vir qui sperat in eum.

Reveremini Dominum sancti eius, quoniam nihil deest his qui cum timent.

Leunculi penuria & fame laborãt: qui autem Dominum inquirunt, nullo bono destituuntur.

Adeste filii, me audite, timorem Domini docebo vos.

Quicunque vitę cupidus es, & videre dies bonos optas.

Observa linguam tuam à malo, & labia tua ne dolum loquantur:

Recede à malo, & fac bonũ: inquire pacem, & eam consectare.

Oculi Domini intẽti sunt ad iustos & aures eius ad eorum preces.

Vultus Domini contra eos qui malum faciunt, vt de terra memoriam eorum excindat.

Clamant iusti, & Dominus exaudit & ex omnibus angustiis eorum liberat eos.

Propè adest Dominus his qui sunt confracto corde, & servat spiritu contritos.

Multi

Multa mala accidunt iusto, ex omnibus tamen liberat illum Dominus.

Custodit omnia ossa eius, vt ne unũ ex eis confringatur.

At impium perdet malum: & qui iustos odio habent, devastabuntur.

Redimet Dominus animam servorum suorum, nec devastabuntur omnes qui in eo sperant.

Psal. 35.

Davidis.

SVscipe Domine litem meam, oppugna oppugnantes me.

Arripe scutum & lanceam, & consurge ad auxilium meum.

Expedi hastam, & prodi obuiam persecutoribus meis: dic animę meæ, Salus tua ego sum.

Pudore afficiantur & ignominia qui quærunt animam meam: agantur retrorsùm & pudefiant qui mihi malum cogitant.

Fiant sicut pulvis ante ventũ, & angelus Domini impellat eos.

Sit via illorum tenebris & lubricitate

citate obsita,& angelus Domini persequatur eos.

Nam immeritò mihi absconderunt foueam retis sui præter causam foderunt animæ meæ.

Eueniat ei calamitas quam non præuidit,& rete ei quod abscondit, capiat eum,cadat in calamitatem.

Anima autem mea exultabit in Domino,in salute eius lætabitur.

Omnia ossa mea dicent, Domine, quis est similis tibi, qui eripis afflictum ab eo qui prævalet eis afflictum & inopem ab eo qui eum diripit?

Surgebant testes violenti, quæ nunquam cogitâram rogabant me:

Malum pro bono mihi rependebant,orbitatem animæ meæ

At ego quùm ipsi ægrotarent, sacco uestiebar ieiunioque affligebam animam meam & oratio mea in sinũ meum vertebatur.

Perinde ac si amicus atque frater meus fuisset sic incessi,uti qui luget matrem pullatus incuruabar:

At in claudicatione mea gaudebant & congregabantur, congregabantur

bantur inquam contra me claudi, quod minimè putáram: proſcindebant me, nec ſilebant.

Cum hypocrits illuſionum placentæ, qui frendebant contra me dentibus ſuis.

Domine quouſque aſpicies? reduc animam meam á calamitatibus eorum, à leunculis vnicam meam.

Celebrabo te in cœtu magno, in populo valido laudabo te.

Ne gaudeant de me qui immeritò mihi hoſtes ſunt: ne annuant oculis qui me abſque cauſa odiunt.

Nam nihil pacificum loquuntur, quin contra eos qui quieti ſunt in terra, verba dolola excogitant.

Diſtendunt contra me os ſuum dicunt, Hæhæ vidit oculus noſter.

Vidiſti & tu Domine, ne diſſimules ne velis abeſſe procul.

Exurge, evigila, vt ius mihi dicas, Deus meus & Dominus meus, ut cauſam meam aſſeras.

Ius mihi redde pro tua iuſtitia ô Domine Deus, & ne patiaris ut de me gaudeant.

Ne

Ne dicant in corde suo, Hæhæ pro animi nostri sententia nobis successit, ne dicant, Voravimus eum.

Erubescant, & simul probro affici, antur, qui de malo meo gaudent: pudore & ignominia amiciantur qui magnifica contra me iactitant.

Ovent & gaudeant qui volunt iustitiam meam, & dicant, semper magnificetur Dominus, qui vult pacem servi sui.

Et lingua mea sedulò resonabit iustitiam tuam, quotidiè laudem tuam.

Psal. 36.

Præfecto cantorum, Davidis servi Dei carmen.

TEstatur in corde meo scelus impii, nullum esse illi timorem Dei. Nam sibi ipsi blanditur, donec summo odio digna iniquitas eius evadat.

Verba oris sui iniqua sunt & dolosa: doceri renuit vt benè agat.

In lecto suo pravitatem excogitat, statuit inde se in viam non bonã, ma-

lam

lum non aversater.

Domine in cœlis bonitas tua, & veritas tua ad æthera usque.

Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus magna quòd homine & iumentum serves Domine.

Quam præclara est ô Deus bonitas tua, & filii hominum qui tuæ se fidei, velut vmbræ alarum committunt.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarũ potum dabis eis.

Penès te enim vitæ vena est, in luce tua videbimus lucem.

Obtende bonitatem tuam his qui te cognoscunt, & iustitiam tuam his qui recto sunt corde.

Ne veniat mihi pes superbiæ, & manus impiorũ ne commoveat me.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem impulsi sunt nec potuerunt stare.

Psal. 37.

Davidis.

NE succenseas ob malos neq; vrat te æmulatio ob facientes iniquitatem.

Nam

Nam veluti fœnum subitò decidu
tur, ac veluti virens herba marce
cent.

Tu spera in Dominum, & quod bo
num est facito: inhabita terrā, & pa
ce fidem.

Tunc oblectaberis te in Domino
& is dabit tibi petitiones cordi
tui.

Devolue super Dominum viam tu
am, & eo nitere, vt ipse faciat.

Et iustitiam tuam seu lumen in a
pertum producet, & iudicia tua ceu
meridiem.

Sile Domino, & præstolare eum,
ne succenseas ei viro cui institutum
suum fœliciter succedit dum scelus
designat.

Remitte irā, missum fac furorem: ne
succenseas ut malefacias.

Quoniam malefacientes excindē
tur: qui verò Dominum præstolati fu
erint, illi terram hęreditariò possidē
bunt.

Paululùm adhuc, & nusquam erit
impius, quúmque adverteris locum e
ius, nullus supererit.

Mansu-

Mansueti interim hæreditariò terram possidebunt, & oblectabũtur plurimo rerum successu.

Molitur impius contra iustum, fremet contra eum dentibus suis.

At Dominus ridet illum, quoniã prospicit advenire diem eius,

Gladium stringunt impii, intendũt arcum suum, ut afflictum & inopem deiiciant, ut rectè gradiẽtes iugulent.

At gladius eorum cor ipsorum trãsuerberabit, & arcus eorum confringentur.

Præstat pauxillum quod iustus habet, opibus multis impiorum insignium.

Nam brachia impiorum confringentur: iustos autem fulcit Dominus.

Novit Dominus innocentiũ quoque tempus, & hæreditas eorum perpetua erit.

In adverso tempore haud quaquã pudefient, & fame invalescente satiabuntur.

Quùm impii peribunt, & hostes Domini ut pretiosi agni absumentur, in fumo absumentur.

Impi-

Impius æs alienum conflat, nec dissoluit: iustus verò beneficus est & dat.

Nam benedicti ipsius hæreditariò possidebunt terram, & execrati eius excindentur.

A Domino diriguntur gressus viri, & via eius grata est ei.

Cùm ruit, non corruit: Dominus enim suffulcit manum eius.

Iuuenis fui & nunc senui, nec tamen uidi iustum desertum. aut posteros eius mendicantes panem.

Quotidiè benificus est & mutuum dat, & posteri eius optimè habent.

Recede à malo, & facito quod bonum est, & habita perpetuò:

Quià Dominus amat iudicium, nec deseret beneficos suos, in sempiternũ custodientur, posteri autem impiorũ excindentur.

Iusti hæreditariò possidebunt terram, & habitabunt super eam in sæculum.

Os iusti de sapientia disserit, & lingua eius iudicium loquitur.

Lex Dei eius in corde ipsius: idcirco non

non nutabunt gressus eius.

Impius iustum observat, & quærit vt eum occidat.

At Dominus non permittet eum manui illius, nec permittet eum impietatis convinci quùm iudicabitur.

Expecta Dominũ, & viam eius obserua, & exaltabit te, vt hæreditariò terram possideas: quùm impii excindentur, tu videbis cum gaudio.

Vidi impium violentum, & sese diffundentem instar lauri frondosæ: Et transiuit, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus.

Obserua integritatem, & specta id quod rectum est: nam ei uiro tandem pax erit,

Scelerati autem pariter vastabuntur: & impii tandem excindentur.

Salus iustorum à Domino, qui & fortitudo eorum est in tempore afflictionis.

Adiuvabit illos Dominus, & liberabit eos, liberabit eos ab impiis, & servabit eos: nam speraverunt in eum.

Psal.

Psal. 38.

Carmen Davidis ad commemorandum

DOmine ne in ira tua me arguas, neue castiges me in feruore tuo.

Quoniam sagittæ tuæ in me defixæ sunt, & depressa est super me manus tua.

Nihil integrum est in carne mea propter indignationem tuam, non est pax ossibus meis propter peccatum meum.

Nam iniquitates meę transcendũt caput meum, ceu grave onus graviores sunt quam sim ferendo.

Computruerunt & sanie diffluunt vlcera mea, propter stultitiam meam.

Incuruus incedo & depressus admodum, quotidiè atratus obambulo:

Quoniam coxendicem meum penitus occupavit fœdum ulcus, nec integri quidquam in carne mea:

Iactatus sum, & nimium attritus præ fremitu cordis mei rugio.

Domine coram te est omne desiderium meum, & suspiria mea te minimè latent.

Co

Cor meum palpitat, destituit me robur meum, & ipsum oculorum meorum lumen non est mecum.

Amici mei & sodales mei stant è regione plagæ meę, & propinqui mei procul consistunt:

Laqueos interim tendunt qui quærunt animam meam, & qui malum mihi inquirunt, loquuntur pravitates, & assiduè dolos meditantur:

Et ego velut surdus nihil audio, ac ceu mutus qui os suum non aperit:

Similis sum inquam viro nihil audienti, & non habenti in ore suo quod pro se respondeat.

Te enim expecto Domine, tu respondebis Domine Deus meus.

Nam cogitabam, Ne de me lætentur, qui simul atque nutat pes meus, magnifica iactitant contra me.

Quia iam ita comparatus sum ut claudus vivam, & dolor meus à me nunquam recedat.

Quia iniquitatem meam fateor, & ob peccatum meum solicitor.

At interim hostes mei vivunt & robusti sunt, & crescunt qui me iniu-

tia odio habent.

Et qui maleficium rependunt pr
beneficio, adversantur mihi, proyte
reà quòd bonum sector.

Ne deseras me domine, Deus me
us ne procul à me absistas.

Propera ut me adiuves, ô domin
salus mea.

Psal, 39.

*Præfecto cantorum ipsi Iedithun ca
men Davidis.*

Dicebam, Observabo vias meas n
peccem lingua mea : cohibeb
os meum capistro, dum coràm fueri
impius.

Factus sum diutino silentio mutu
ut ne de bonis quidē rebus loquere
at interim dolor meus incrudescebat

Incalescebat cor meum intra m
ignis quidam dum mecum immu
murarem, exardescebat, tandem lin
gua mea loquutus sum:

Indica mihi Domine finem meu
& quisnam sit modus dierum meor
ut sciam quanto tempore mihi in m
seriis vivendum sit.

Ecc

Ecce tu constituisti dies meos palmi minoris longitudine: quin ævum meum sic est quasi non sit, præsertim tibi collatum: revera prorsus nihili est homo quivis, quamlibet firmus consistere videatur. Sela.

Quin in imagine vadit homo, temerè tumultuatur, congerit, & nescit cui ea congreget.

Et nunc quid expecto Domine? in te certè spes mea recumbit.

Ab omnibus sceleribus meis libera me: ne exponas me ludibrio stolidis hominibus:

Obmutui, nec aperui os meum: tu enim istuc fecisti.

Aufer ergo à me flagellum tuum: ab exagitatione manus tuæ ego exanimatus sum.

Etenim dum tu hominem ob iniquitatem obiurgans castigas, ilicò tabescere facis, velut tinea, quidquid est in eo desiderabile: quin vanitas est omnis homo. Sela.

Audi precationẽ meã ô Domine, auribus accipe clamorẽ meũ, ad lachrymã meã ne obsurdescas: peregrinus enim

enim sum apud te, inquilinus qual fuerunt omnes progenitores mei.

Deflecte à me, vt me recipiam priusquam obeam, & nusqua sim.

Psal. 40.

Præfecto cantorum carmen Davi

QVum diu solicitè expectasse Dominum, tandem attend me, exaudivitque clamorem m um.

Subdixit me è puteo illo calamit so, & denso luto, in petra erectum m in pedes meos collocavit, gressus m os corroboravit:

Et inservit ori meo carmen novu laudem Deo nostro.

Videbunt id multi, & timebunt, s que sperabunt in Dominum.

Fœlix ille vir, qui Dominum tu lam suam posuerit, nec respexit fastosos, & ad eos qui ad mendaciu deflectunt.

Plurima patrasti tu Domine De meus admirandorum facinorum, conciliorum tuorum erga nos non tu

reſt iniri ratio: quæ ſi enarrare & eloquiconer, plura ſunt quàm numerari queant.

Victimam & ſacrificium cibarium non amas, aures autem perfodiſti mihi, holocauſtum & hoſtiam pro peccato non poſtulaſti.

Tum dixi, En ipſe adſum: in pagina libri ſcriptum eſt de me.

Vt faciam quæ tu probas ô deus meus: collibuit, & lex tua in medio viſcerum meorum.

Deprædicavi iuſtitiã tuam in cœtu magno, en labia mea haudquaquã cohibui, noſti tu ipſe ô domine.

Iuſtitiam tuam non occului in medio cordis mei, ſed conſtantiam tuam in promiſſis & ſalutem tuam annuntiavi: boniratem tuam & veritatem tuam ebuccinare concioni frequenti minimè ceſſavi.

Neque tu ô Domine continuiſti à me miſerationes tuas: benignitas tua & veritas tua perpetuò me cuſtodiunt.

Quoniam adobruerant me tot mala, ut ea nequirent numerari: occu-

pauerant me iniquitates meæ, ut non potuerim ea uidere: plura fuerunt quàm pili capitis mei: inde destituit me cor meum.

Libeat tibi ô Domine ut liberes me: ô Domine propera vt me adiuues.

Pudefiant & afficiantur opprobrio pariter qui quærunt animam meam ut extinguant eam: retrò abeant & pateant ignominiæ, quicúque malo meo delectantur.

Vastentur pro eo quòd me pudefacere conabantur, qui dicunt mihi Hehæ, hehæ.

Lætentur & gaudeant in te quicunque te quærunt: & dicant perpetuò Magnificetur Dominus qui amat salutem tuam.

Ego autem afflictus sum & inopis: Dominus cogitat pro me, auxilium meum & liberator meus tu es, Deus meus ne moram feceris.

Psal. 41.

Præfecto cantorum oda Dauidis.

BEatus est qui prudenter agit cum ægro: dum tempus fuerit adversum

sum, eripiat eum Dominus.

Dominus custodiat eum, valetudinem restituat ei, ut secundis adhuc rebus fruatur in terra: nec enim permittes eum libidini inimicorum eius.

Dominus fulciat eum in lecto ægritudinis decumbentem, totum stratum eius commutabis in infirmitate eius.

Hinc ego quoque dico, Beneficus esto mihi ô Domine, sana animam meam: nam adversum te peccavi.

Inimici mei male precabantur mihi dicentes, Quando tandem morietur, & interibit nomen eius?

Cumque quispiam ex eis veniret me invisurus, vanum loquebatur, corde sibi prava colligebat, egressus foras ea eloquebatur.

Inter se osores mei contra me pariter mussabant, adversum me malum cogitabant, nempe.

Perfudit istum graue aliquod scelus: & iste decumbens, haudquaquam posthac surget.

Quin & is quocum mihi arctissima fuit familiaritas, cui fidebam, qui-

que cibo meo victitabat, sublato pe-
de, velut calce, me petebat.

Tu ergo Domine beneficus sis mi-
hi, & erige me, ut illis rependam.

In hoc cognovi favere te mihi, quòd
hostis meus de me non iubilat,

Quodque sum incolumis: suffulci-
es porrò me, atque statues coram te
in sempiternum.

Collaudetur Dominus Deus Isra-
elis, à sæculo usque in sæculum. Amen
& amen.

Psal. 42.

*Præfecto cantorum, erudiens carmen
filiorum Corah.*

VT cerva mugit ad torrentes aqua-
rum, sic anima mea mugit ad te
ô Deus.

Sitit anima mea Deum Deum vivũ
quando demùm veniam, vt appareã
in conspectu Dei?

Fuit mihi lachryma mea pro cibo
dies noctesque, dùm mihi dicerent
quotidiè, Vbinam est Deus tuus?

Animam meam effundo, simul at-
que recordor qualiter in summa illo-
ovante

ovantes & collaudantes, festivantem scilicet ac celebrem cœtum, ad domũ Dei deducebam.

Quid deiecta es ô anima mea, & intra me tumultuaris? spera tantùm in Deum, quia adhuc pro salute reddita, coram conspectu eius gratias agam.

Deus meus deiicit se anima mea intra me, propterea quòd tui recordor in terra trans Iordanem, atque ab Hermonim monte pusillo.

Abyssus abyssum advocat, ad vocẽ cataractarum tuarum, cuncti fluctus tui & procellæ tuæ super me transierunt.

Interdiù præcepit Dominus benignitati suæ, & nocte canticum eius mecum, oratio ad Deum vivum.

Dicam Deo petræ meæ, Quare obliviscéris mei? cur hoste opprimente atratus ingredior?

Perinde est acsi adigerent gladium in ossa mea dùm hostes mei cõtumeliis me afficiunt, dicuntq; ad me quotidiè, Vbi est Deus tuus?

Quid deiecta es ô anima mea &

cur sic intra me tumultuaris? spera tãtum in Deum: quia adhuc celebrabo eum pro salute ante conspectum meum reddita, & quòd Deum meum se esse ostendit.

Psal. 43.

IVdica me Deus, & suscipe causam meam à gente parum pia, à viro dolloso & prauo eripe me:

Nam tu Deus meus es robur meum, quare depulisti me? quare pullatus ingredior, inimico obterente?

Mitte lucem tuam & veritatem tuam, hæc deducant me, ad montem sanctum tuum me introducant, atque ad habitacula tua:

Vt ingrediar ad aram Dei, ad Deum, qui est gaudium & exultatio mea & celebrem te cithara Deus, Deus meus.

Quid dejecta es ô anima mea & cur tumultuaris intra me? spera in Deum, quoniam adhuc celebrabo eum de salute qua faciem meam exhilarabit, Deumque se meum declarabit.

Psal.

Psal. 44.

Carmen erudiens filiorum Corah præfecto cantorum.

Auribus nostris audiuimus, ô Deus, patres nostri commemorauerũt nobis, opera illa quæ temporibus illorum operatus es, retróque temporibus.

Tu manu tua Gentes expulisti, & eos plantasti: afflixisti populos, nos autem germinare fecisti.

Nec enim gladio suo terram occupárunt, nec ipsorum brachio salus eorum parta est: sed dextera tua, & brachio tuo, & luce vultus tui, quia illos amabas.

Tu ipse Rex meus es ô Deus, tu dispone salutes ipsi Iacob.

Per te infestos nobis excutiemus, per nomen tuum conculcabimus eos qui in nos insurgunt.

Non enim sperabo in arcu meo, & gladius meus minime me seruabit:

Sed tu servas nos ab aduersariis nostris, & pudefacis eos qui nos odio prosequuntur.

In Deo gloriamur quotidiè & nomen tuum in sempiternum celebramus. Sela.

At tu depulisti nos, & ignominia affeciisti, nec inter copias nostras amplius egrederis.

Vertis nos in fugam coram hoste, & qui odio nos prosequuntur, auferunt sibi prædam.

Posuisti nos uelut oues cibo seligendos, & inter Gentes illas nos dispersisti.

Vendidisti populum tuum nullis opibus, nec auxisti pretia eorum in licitando.

Exponis nos probro vicinis nostris illusioni & ludibrio his qui circum nos habitant.

Facis ut fabula simus Gentibus, & fluctus populis

Quotidiè ignominia mea coram me est, & pudor obtegit faciem meam

Propter uocem exprobrantis & conuitiantis, & propter inimicum & ulciscendi auidum.

Hec omnia eueniunt nobis, attamen nequaquam tui obliuiscimur, nec per-

perfidi ſumus in fœdere tuo:

Non deflexit retrò cor noſtrum, nec declinauerunt à ſemitis tuis greſſus noſtri,

Quùm attereres nos in loco draconum, atque umbra mortali nos obtegeres.

Si obliuiſceremur nominis Dei noſtri, & expanderemus animas noſtras ad deum alienum:

Annon Deus hoc inquireret? ipſe enim nouit abſcondita cordis.

Sed propter te occidimur quotidiè, æſtimamur ceu grex mactationi deſtinatus.

Euigila, quare obdormis Domine? euigila inquam, ne depellas perpetuò.

Quare abſcondis faciem tuam? cur afflictionis noſtræ & oppreſſionis noſtræ obliviſceris?

Quoniam deiecta eſt ad pulverem anima noſtra, terræ adhæret venter noſter.

Conſurge, adiuva nos, & redime nos propter bonitatem tuam.

Psal. 45.

Carmen amatorium erudiens, filiorum Corah, præfecto cantorum, de liliis.

ERuctat cor meum boni quippiam, dedico ego opera mea regi : lingua mea ceu stylus est scribæ expediti.

Perelegans es præ cunctis mortalibus, effusa est gratia in labia tua, eo quòd Deus te sempiternis ornavit beneficiis.

Cinge ô heros gladio tuo femur tuum, decore tuo & magnificétia tua.

Et in magnificentia tua prosperè inequita super verbum veritatis, mansuetudinis & iustitiæ, docebit quem tunc dextera tua admiranda.

Sagittæ tuæ præacutæ, cor hostium regis penetrabunt, populi sub te cadent.

Solium tuum in sempiternum & perpetuò stabit ô Deus : sceptrum regni tui est sceptrum æquitatis.

Amas iustitiam, impietatem odis propterea quòd te Deus, Deus tuus unxit oleo letitiæ præ cõsortibus tuis

Myr-

Myrrham, aloen & casiam redolent omnia vestimenta tua, è palatiis eburneis deprompta, vt te exhilarent.

Filiæ regum inter nobiles tuas: astat coniux ad dexteram tuam ornata auro ex Ophir optimo.

Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, obliviscere populi tui, & domus patris tui.

Et concupiscet rex formam tuam: quia ipse est Dominus tuus, ipsum adorabis.

Filia quoque Tyri cum munere, & quique opulentiores populi, faciem tuam precabuntur.

Omnis gloria filiæ regis intus est, indumentum eius ex auro intexto.

In vestibus acu pictis adducetur regi, virgines pedisequæ eius, sodales eius unà tibi adducentur.

Adducentur inquã cũ gaudio & lætitia, & venient in palatium regis.

In locum patrum tuorum succedent tibi filii, quos principes in omni terra constitues.

Memorabo nomen tuum per omnia

nia sæcula, propterea celebrabunt te populi in sempiternum, & perpetuò.

Psal. 46.

Præfecto cantorum, carmen filiorũ Corah ad Almoth.

DEus nobis suffugium & robur est premente adversitate auxilium præsentissimum.

Propterea nihil timebimus etiam si loco moveatur terra, & nutent mõtes siti in medio mari.

Infremant & limum'egerant vndæ eius, contremiscant montes in elevatione eius: Sela.

Rivi tamen fluminis exhilarabunt civitatem Dei, sacratium tabernaculorum Altissimi.

Deus est in medio eius, ideò minimè nutabit, opem illi feret Deus ante auroram.

Tumultuentur Gentes, motus concitent regna, & tellus, dato fragore, defluat.

Dominus tamen exercituum à nobis stat, arx sublimis est nobis Deus Iacob: Sela.

Huc

Huc agite, & contemplamini opera Domini, quasnam solitudines fecerit in terra.

Facit cessare bella ad fines usque terræ, confringit arcus detruncat hastas, igni currus exurit.

Remittite, & agnoscite quòd ego sum Deus, excelsus in Gentibus, excelsus in terra.

Dominus exercituum nobiscum, arx sublimis nobis Deus Iacob. Sela.

Psal. 47.

Carmen filiorum Corah præfecto canorum.

OMnes populi plaudite manibus, iubilate Deo voce ovante.

Excelsus enim est Dominus, tremendus, rex magnus super omnem terram.

Subiicit populos nobis, & nationes sub pedes nostros,

Selegit nobis hæreditatem nostram, præstantiam Iacob quam diligit. Sela.

Ascendit Deus cum iubilo, Dominus cum sonitu buccinarum.

Psallite

Psallite Deo, psallite: psallite Re
nostro, psallite:

Quoniam rex vniversæ terræ D
us, psallite eruditè.

Regnat Deus super Gentes, De
sedet in solio suo sancto.

Munifici populorum adiunguntu
populo Dei Abrahæ: quoniam di
protectoribus terræ longè superio
est.

Psal. 48.

Canticum, Psalmus filiorum Corah.

MAgnus Dominus & laudatus p
rimùm, in civitate Dei nostri,
monte sancto eius.

Mons Sion, in cuius Aquilonari
tere vrbs magni Regis est, elegans
regio, & gaudium vniversæ terræ.

Deus in palatiis eius agnitus e
quòd sit suis arx sublimis.

Nam ecce reges convenerant, tr
fierant unà.

Quùm vidissent, sic obstupuer
perterriti sunt, & in præceps a
sunt.

Sic corripuit eos illic trepidatio
dolor, ut parturientem.

Ou

Quomodo ventus Orientalis confringere solet marinàs naves.

Quemadmodũ audivimus, ita vidimus, in civitate Domini exercituũ, in civitate Dei nostri, Deus illam firmavit in sęculum. Sela.

Animo concipiebamus ô Deus bonitatem tuam in medio templi tui.

Vti nomen tuum ô Deus, ita & laus tua pertingit vsque ad fines terrę, nã iustitia dextera tua abundat.

Gaudet mons Sion, & exultant filiæ Iuda propter iudicia tua.

Circũite Sion, cingite eam, numerate turres eius.

Adhibete animum ad propugnaculum eius, videte ut sint celsa palatia eius, ut enarretis generationi posteræ.

Nam hic, est Deus, Deus noster est in sempiternum, & perpetuò ipse diriget nos ad mortem usque.

Psal. 49.

Carmen filiorum Corah præfecto cantorum.

AVdite hoc omnes populi, auscultate his omnes qui orbem inhabitatis.

Tam

Tam plebei quàm dignitate alieq
pollentes, vnà dives cum paupere.

Os meum ſapientiam loquetur: &
meditatio cordis mei prudentiam.

Accommodabo ad parabolam au
rem meam, exponam adhibita cithā
ra ænigma meum.

Cur timeam in adverſo tempore
iniquitas calcaneorum meorum cir
cundaret me.

Ex illis qui nituntur opulentia ſua
& in multitudine divitiarum ſuarum
gloriantur,

Nemo fratrem ſuum vlla ratione
redimere poteſt, neque Deo pretium
redemptionis eius perſolvere,

Nimii ſiquidem pretii eſt redimi a
morte animas illorum, vt ævo vivam
perpetuo.

Et vitam in ſempiternum proferā
ſepulchrum nunquam viſuri.

Equidem videre eſt vt ſapientes q
què moriantur ac ſtulti, & ſtupidi in
tereant, & opes ſuas aliis relin
quant.

Sepulchrum domus eorum in
perpetuum, & habitacula eorum pe
ſæ cula

ſęcula, nomina ſua vocârunt in terris.

At homo in pretio non diu permanet, ſimilis erit pecudibus quæ prorſus intereunt.

Hoc illorum inſtitutum, planè ſtultitia illorum eſt: & tamen poſteri eorum quod illi dictant, approbant. Sela,

Vt greges, apud inferos collocabuntur, mors paſcet eos, manè recti in eos dominabũtur: forma eorum inveteraſcet, fovea eſt eorum domicilium.

At Deus animam meam de poteſtate inferorum liberabit: nam ſuſcepit me. Sela.

Nihil metuas quùm ditatus fuerit quiſpiam, aut quùm gloriam domus ſuæ auxerit:

Haud enim ſumet omnia ſecum quùm morietur, neque gloria eius eum comitabitur.

Quoniam animam ſuam in uita ſua beatam dicet & quùm benefeceris ei celebrabunt te.

Concedent iſti ad nationem patrum ſuorum, & nunquam luce fru-

fruentur.

At homo quùm sit pretiosus & no-
bilis, non expendit: similis ergo eri
iumentis quæ prorsus intereunt.

Psal. 50.

Carmen ipsi Asaph.

DEus iudicum dominus loquutu
est, & convocavit terram ab ort
solis usque ad occasum eius.

De Sion consummatę pulchritudi-
nis Deus illustris emicabit.

Veniet Deus noster, neque dissi-
mulabit, ignis vorax ante ipsum pra-
cedet, circa eum vndique turbo ve-
hemens.

Advocabit cœlum desuper & ter-
ram, ut iudicio contendat cum po-
pulo suo.

Congregate mihi bonos meos, q
qui mecum inierunt fœdus de sacrifi
candi ratione.

Et annũtiabunt cœli iustitiã eius
nam Deus ipse iudex erit. Sela.

Audi populе mi, nam loquar: ô Isra
el, nam te contestabor: ego sum Deu
Deus tuus.

Non

Non reprehendam te ſacrificiorum tuorum cauſa : holocauſta enim tua iugiter ſunt coram me.

Non eſt ut accipiam de domo tua iuvencum, nec de caulis tuis hircos.

Meæ ſiqui dem ſunt omnes ferę ſylvarum, pecudes in mille montibus.

Novi cunctas in montibus volucres, penes me ſunt animantes agreſtes.

Si eſuriero, non eſt vt tibi iudicem: quùm meus ſit orbis, & quid quid illo continetur.

Num comeſturus ſum carnem taurorum? & ſanguinem hircorum bibiturus?

Sacrifica Deo laudem, & perſolve Altiſſimo vota tua.

Prement e adverſitate, invoca me: & quùm te eripio, gloriam meam celebra.

Impio autem dicit Deus, quid tibi vis quòd commemoras ceremonias meas? cur ore tuo fœdus meum iactas.

Quùm odio habeas diſciplinam, & verba mea poſt te abiicias?

Si

Si furem usquam uideris, eo oblectaris, & cum adulteris est pars tua:

Os tuum addixisti malo, & lingua tua dolum concinnat.

Sedes, & contra fratrem tuum loqueris, filium matris tuæ probrum afficis,

Hæc fecisti, quúmque ego dissimulo, fingis me planè tui similem esse: disceptabo itaque tecum & ordinem proponam ante oculos tuos.

Istuc quęso intelligite, qui oblitis estis Dei: ne quùm rapiam, non sit qui eripiat.

Qui laudem sacrificat, is me glorificat: & hæc est via per quam ostendam ei salutem Dei.

Psal. 51.

Carmen Davidis præfecto cantorum, quùm ad eum venisset Nathan propheta, posteaquàm ingressus fuerat ad Bath-sabæ.

MIserere mei Deus pro bonitate tua, pro ingenti misericordia tua dele scelera mea.

Lava me plurimùm ab iniquitate mea

mea,& à peccato meo munda me.

Nam transgressiones meas agnosco, & peccatum meum assiduè mihi obversatur.

In te,in solum te peccavi, & malum hoc in oculis tuis admisi: propterea verè iustus agnoscéris in verbis tuis, & purus quùm iudicaveris.

En ego in iniquitate formatus sum & in peccato concepit me mater mea.

Ecce veritatem diligis in intimis & in abstruso sapientiam mihi manifestam facis.

Expia me hyssopo,& mundus ero: lava me,& nive ero condidior.

Fac vt audiam lætitiam & gaudiũ, exultent ossa quæ tu contrivisti.

Absconde faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea mihi Deus, & spiritum firmum intra me innova.

Ne abiicias me à facie tua,nec spiritum tuum sanctum à me auferas.

Restitue mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali fulci me.

Doce.

Docebo transgressores vias tuas, & peccatores ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meę, tuuc lingua mea resonabit cum ovatione iustitiam tuam.

Aperi Domine labia mea, ut os meum laudem tuam prædicet.

Nam hostiis non delectaris, alioqui eas obtulissem: holocaustum non vis.

Sacrificia Deo spiritus contractus: cor contractum & contritum Deus non despicies.

Benignè fac ex benevolentia tua Sioni, ædifica muros Ierusalem.

Tunc delectaberis hostiis, sacrificio & holocausto iustitiæ: tunc aræ tuæ vitulos imponent.

Psal. 52.

Præfecto cantorum erudiens carmen Davidis, quùm venisset Doeg Idumæus ad Saulem eique nuntiasset atque dixisset, Venit David ad domum Ahimelech.

QVid gloriaris, in malitia potēs bonitas Dei extat quotidiè.

Cor-

Corruptelas cogitat lingua tua, perindè ut novacula exacuata aberrans.

Amas nocere potiùs quàm benefacere, mentiri potiùs quàm quod iustũ est loqui. Sela.

Amas loqui quęcunque perniciem afferunt, lingua dolosa.

Etiam te Deus dissipabit in ęternũ, tollet te, & abradet te de tabernaculo tuo, ac radicem tuam è terra viventium. Sela.

Quod quùm videbunt iusti, timebũt déque illo ridebunt.

En dicent virum qui non posuit Deũ robur suum: sed in multitudine divitiarum suarum spem posuit, & roboravit se pravitatibus suis.

At ego ero similis oleæ frondosę in domo Dei, quia spem posui in bonitate Dei in sempiternum & perpetuò.

Celebrabo te in sęculum, quoniam feciſti: & præstolabor nomen tuum: quoniam ante bonos tuos bonum est.

Psal.

Psal. 53.

Præfecto cantorum carmen eruditionis Davidis de miseria.

DIxit stolidus in corde suo, Non est Deus: ob id conscelleratam & abominandam designarunt iniquitatem: non est qui quod bonum est faciat.

At Deus è cœlo prospexit super filios hominum, vt videret num esset prudens aliquis, & qui Deum quæreret.

Cuncti pariter deflexerunt, corrupti sunt: nemo est qui quod bonum est faciat, ne unus quidem.

An non cognoverunt operarii iniquitatis, qui populum meum vorant ut qui panem devorant, & Deum non invocant?

Illic pavore consternantur, ubi pavor non est, quia Deus dissipat ossa obsidentis te: pudefeciſti eos, quoniam Deus aversatus est illos.

O utinam è Sione salus Israeli contingat, vt Deus captivitatem populi sui finiat, ut lætetur Iacob gaudeat Israel.

Psal.

Psal. 54.

Erudiens carmen Dauidis, præfecto cantorum ad instrumenta musica quùm Ziphæi uenirent & dicerent Sauli, Annon Dauid apud nos latitat?

Deus per nomen tuum saluum me fac, & uirtute tua uindica me:

Deus audi precem meam, sermoni oris mei ausculta.

Nam alieni contra me insurrexerunt, & tyranni quærunt animam meam, non habentes ob oculos Deũ Sela.

En Deus adiuuat me, Dominus cum iis adest, qui me sustulciunt.

Rependet malum istud aduersariis meis, in ueritate tua exterminа eos.

Voluntarium sacrificium faciam tibi, & celebrabo nomen tuum Domine, quoniam bonum est,

Nam ex omni afflictione eripuit me, & in hostibus meis optata uidebit oculus meus.

Psal. 55.

Erudiens carmen Davidis præfecti cantorum ad instrumenta musica.

AVsculta Deus precationi meæ, à deprecatione mea ne te subducas.

Attende & responde mihi, querulor in prece mea & infremo,

Propter vociferatiònem hostium, propter divexationem impiorũ, qui mihi iniquitatem obtrudunt, & in ira mihi adversantur.

Propterea cor meum intra me afflictatur, & terrores mortis irruerunt in me:

Timor & tremor inciderunt in me, & horror me adobruit.

Et dixi, Vtinam essent mihi alæ tã celeres quàm sunt columbæ; avolarẽ enim, & quiescerem.

En longè profugerem, commorarer in ipso deserto. Sela.

Properarem ut à vento turbinoso & tempestate evaderem.

Degluti eos ô Domine, & finde linguas eorum: quoniam vidi violentiam

am & lites in ipsa civitate:

Hęc illam dies noctesque in muris eius circumeunt, intra eam iniquitas & molestia.

Corruptelæ intra eam, à plateis eius impostura & dolus nunquam declinant.

Neque enim hostis erat qui me probro afficiebat, alioqui tulissem: neque extulit se contra me, qui præ se ferebat odium mihi, abscondissem enim me ab illo:

Sed tu eras homo æqualis mihi, dux meus, & notus meus:

Mutuò enim & suaviter secreta communicabamus: in domum Dei in cœtu unà ibamus.

Derepentè mors super illos irruat, descendant vivi ad inferos: nam mala sunt in habitaculis eorum, in intimis eorum.

Ego ad Deum clamabo, & Dominus servabit me.

Vespere & manè & meridie precor & importunus sum, & ipse vocem meam exaudivit.

Redemit animam meam à prælio

quod mihi intentatur, pacémque do-
nauit: nam plurimi fuerunt mecum.

Audiet Deus & affliget eos qui se-
det ab initio. Sela.

Nam non est spes quòd illi muten-
tur, nec Deum timeant.

Iniecit ille manum suam in eos
quibuscũ pacem simulauerat, & pro-
fanauit fœdus suum.

Os habet butyro mollius, sed cor
de bellum gerit: uerba eius oleo ma-
gis lenia, quùm sint stricti gladii.

Reiice in Dominum sarcinam
tuam, & ipse te sustulciet: non
permittet ut iustus perpetuò labe-
cat.

Tu interim, ô Deus, detrudes san-
guinarios istos & fraudulentos in pu-
teum interitus: non perducent sua
dimidium dies suos, ego autem spe
meam in te collocabo.

Psal. 56.

*Præfecto cantorum de vexatione mu-
tis populi alienigenarum: insigne aureum
Davidis, quùm eum Philisthini com-
hendissent in Gath.*

Miserere mei Deus: nam me homo ferè absorpsit, quotidiè oppugnans me obtrivit.

Absorbent me hostes mei omni tempore: multi namque pugnant contra me ô Excelse.

Quocunque tempore timor me invadit, ego spem meam in te colloco.

In Deo laudabo verbum eius: in Deum speravi, nihil metuo quid mihi caro faciat.

Perpetuò verba mea calumniabantur: omnes cogitationes eorum in hoc erant, ut malum mihi parárét.

Concurrunt, speculantur ipsi, & vestigia mea observant, quandoquidem animæ meæ inhiant.

Vanitate sperant sese evasuros: at Deus est qui in ira populos deiicit.

Fugas meas tu numeratas habes, lachrymas meas repone in laguncula tuam, annon in rationario tuo?

Quoties te invoco, hostes mei retrocedunt: in hoc certus fio quòd tu es Deus meus.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem.

In Deum ſpero, non metuam quid faciat mihi homo.

Vota nuncupabo tibi ô Deus, reddam laudes tibi:

Quoniam eripuiſti animam meam à morte, annon & pedes meos à lapſu: ut incedam in conſpectu Dei in lumine viventium.

Pſal. 57.

Præfecto cantorum. Ne perdas: inſcriptum aureolum Davidis, quùm à Saule fugiſſet in ſpecum.

Miſerere mei Deus, miſerere mei quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum ſpero donec tranſeat corruptela.

Invocabo Deum excelſum, Deum qui me perficit.

Is è cœlo mittet, & liberabit me opprobrio me abſorbente perpetuo: mittet Deus ſuam bonitatẽ & fidem ſuam.

Anima mea eſt in medio leonum: jaceo inter homines qui flãmis exurunt quorũ dentes velut lanceæ & ſagittæ ſũt & lingua gladius acutus

Et

Extolle te ô Deus super cœlos, super omnem terram gloria tua.

Rete parârunt gressibus meis, incurvata est anima mea: foderunt ante me foueam, & inciderunt in eam. Sela.

Paratum est cor meum ô Deus, paratum est cor meum: cantabo & psallam.

Expergiscere ô gloria mea, expergiscere nablum & cithera, maturè surgam.

Celebrabo te in populis ô Domine, canam te in nationibus.

Quoniam bonitas tua ingens est, ad cœlos usque pertingit, & fides tua ad æthera usque.

Extolle te ô Deus super cœlos, & super omnem terram gloria tua.

Psal. 58.

Præfecto cantorum, Ne perdas. insig. ne aureolum Davidis.

NVm verè, ô manipule, quod iustũ est pronuntiatis, recte iudicatis mortalibus?

Quin potiùs iniquitates in corde

concinnatis in terra: violentiam manus veſtræ appendunt.

Abalienati ſunt impii iſti ab eo tẽpore quo vulvam egreſſi ſunt: errant iam inde ex quo è ventre prodierunt, loquentes mendacium.

Virus eſt illis vt virus ſerpentis, ut aſpidis ſurdæ, aurémque ſuam obdurantis,

Ne cogatur audire vocem incantantium, incantatoris inquam artibus magicis præſtantis.

Contere ô Deus, dentes oris iſtorũ, maxillares dentes iuvenum iſtorum leonum contunde ô Domine.

Liqueant ceu aquæ quæ dilabũtur, ut cui tenſo arcu ſagittæ diffringuntur.

Inſtar limacis colliqueſcentis, diffluant uelut abortiuum mulieris, quod ſolem nunquam aſpexit.

Priuſquàm ſpinæ ueſtræ in rhamnum adoleſcant, repentè uiuos ſicut acerrimo furore tollat eos turbo.

Lætabitur iuſtus quùm uiderit ultionem, pedes ſuos in ſanguine impii lauabit.

Et

Et dicet homo, Certè iustum manet fructus: certè est Deus iudicans in terra.

Psal. 59.

Præfecto cantorum. Ne perdas. inscr. ne aureolum Davidis, quùm misisset Saul ad observandũ domum eius, ut eum occiderent.

ERipe me ab inimicis meis Deus meus, ab iis qui contra me insurgunt protege me.

Eripe me ab his qui scelerate agũt, & à viris sanguinaris serva me.

Nam ecce animæ meæ insidiantur, conspirant adversùm me feroces: nõ ob iniquitatem meã, nec ob peccatũ meum, ô Domine.

Nulla iniquitate mea adducti accurrunt, instruxerunt sese: exurge ergo ut mihi succurras, & respice.

Et tu ô Domine Deus exercituũ, Deus Israelis, evigila, ut visites omnes Gentes, neque misericordem te exhibeas omnibus scelerate prævaricantibus. Sela.

Revertuntur ad vesperam, fremunt

ut canes, & urbem circuncursant.

Ecce loquuntur ore suo, & gladii sunt in labiis eorum: nam Quis audiat?

At tu ô Domine ridebis eos, cum sanna cunctas Gentes excipies.

Robur illi, at te observabo: nam Deus vice arcis sublimis est mihi.

Bonitas tua, ô Deus, meus, antevertat me: fac Deus optata in hostibus meis videam.

Ne subitò interimas illos, ne fortè obliviscatur populus meus: redde eos vagos in populo tuo, & deiice eos, protector noster Domine.

Propter peccatum oris eorum, & ob sermonem labiorum ipsorum, in superbia sua capiantur, ob periurium & mendacium quod loquuntur.

Consume in furore, consume ut non sint: ut sciant omnes, quòd Deus in Iacob, & usque ad fines terræ dominetur. Sela.

Et ad vesperam revertuntur, fremunt ut canes, & urbē circūcursant.

Hi ipsi pro cibo vagabuntur, nec saziati cubabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, manè ouabo de bonitate tua, quod arx sublimis mihi fueris: & dū premeret me aduersitas, perfugium.

O robur meum tibi canam, quoniam Deus arx sublimis mihi es, & Deus bonitatis meæ.

Psal. 60.

Præfecto cantorum super rosa testimonii, insigne aureum Dauidis ad docendū, dum bellum gereret contra eam partem Syriæ, quæ Mesopotamia uocatur, & contra Syriæ partem quæ uocata est Zoba: & quùm Ioab reuersus percussisset Edomitarum in Valle salis duodecim millia.

DEus repulseras nos, disiecerasnos, iratus eras: ac redhibebas rursùs te nobis placatum.

Concusseras terram, & diruperas eam: cura fracturas eius, uacillat enim.

Dura fecisti experiri populum tuum: potum dedisti nobis uinum læthale:

At sustulisti rursus timentibus te signum, ut triumpharent, idque propter veritatem. Sela.

Ut eripiantur dilecti tui, serva, dextera tua, & exaudi me.

Deus loquutus est in sanctuario suo quòd lætabor: & quòd dividam Sichem & vallem Succoth dimetiar.

Meus est Gilead, & meus est Manasses: Ephraim robur capitis mei, Iuda legislator meus.

Moab lebes ablutionis meæ: super Edom proiiciam calceamentum meum, ambi ô Palæsthina amicitiam meam.

Quis ducet me in civitatem munitam? quis me usque in Edom deducet?

Annon tu ô Deus, qui nos repulseras, & tu Deus qui non egrediebaris cum exercitibus nostris?

Fer nobis auxilium in angustia, nam hominum auxilium inane est.

In Deo fortiter faciemus, & ipse conculcabit hostes nostros.

Psal. 61.

Præfecto cantorum ad instrumẽta musica carmen Davidis.

AVdi, Deus, clamorem meum, orationi meæ ausculta.

Ab extremo terræ ad te clamabo, dum cor meum ferè exanimatum est in rupem altiorem, quàm ut in eam possim conscendere, subduc me.

Tu enim es asylum meum, turris prævalida, qua ab hoste servor.

Fac habitem in tentario tuo perpetuò, tutus agam in latibulo alarũ tuarum. Sela.

Tu enim Deus exaudisti vota mea, dedisti hęreditatem timentibus nomen tuum.

Dies diebus regis adiicies, annos eius in multa sęcula produces.

Sedebit coram Deo in sęculum, bonitatem & veritatem para quæ eum custodiant.

Sic psallam nomini tuo in perpetuum, vt persoluam vota mea per singulos dies.

Psal.

Psal. 62.

Præfecto cantorum pro Jedethun, ei Davidis.

VTique ad Deum silens respicit anima mea, quia ab ipso salus mea.

Vtique ipse est petra mea, & salus mea, ipse arx sublimis mea: ideò non labascam admodùm graviter.

Quousque insidias struitis quibus is? tandem vos omnes interficiemini petinde ut paries inclinatus, & macerria impulsa.

Vtique ne ipse exaltetur consulta ut impellatur: diligunt mendacium, ore suo benè precantur, corde devovent. Sela.

Veruntamen respice ad Deum silens, ô anima mea: nam ab ipso pendet spes mea.

Vtique ipse est petra mea, & salus mea, arx mea, non nutabo.

A Deo pendent salus mea & gloria mea, petra fortitudinis meæ, refugium meum in Deo est.

Collocate spem in eum omni tempore

pore ô populi, effundite ante conspectum eius cor vestrum, Deus refugium nobis. Sela.

Veruntamen filii hominum vani sunt, mendaces filii viri: si simul ponãtur in bilance, ipsa vanitate leviores erunt.

Ne collocetis spem in iniuria & rapina: nolite vos dedere vanitati: opes si affluunt, ne cor apponatis.

Semel atque iterùm loquutus est Deus, idque audivi, Deo esse robur:

Quòd & tibi Domine bonitas adest: quodque tu rependis cuique iuxta opus suum.

Psal. 63.

Psalmus Davidis quùm esset in deserto Iuda.

DEus Deus meus tu, summo diluculo te quæro: te sitit anima mea, te concupiscit caro mea, in hac terra torrida & siticulosa, cui desunt aquæ.

Sic ut te contempler in sanctuario tuo, ut videam virtutem tuam & gloriam tuam.

Nam

Nam bonitas tua ipsâ vitâ optabilior est, ideò labiis meis te laudabo.

Sic benedicam te in vita mea, in nomine tuo attollo manus meas.

Tanquam adipe & pinguedine satiabitur anima mea, vnde ovabunt labia mea, laudabit os meum.

Simul atque tui memor fuero in lecto meo, de te meditatus fuero in vigiliis nocturnis:

Tu etenim es qui mihi fers auxilium & in umbra alarum tuarum ovabo.

Tibi adhæsit anima mea: quia dextera tua me suffulsit.

Isti verò qui animam meam devastare quærunt, subibunt infima terræ.

Adigent eos in aciem gladii, sorte vulpibus erunt.

Rex autem in Deo lætabitur, gloriabitur quisquis per ipsum iurauerit: nam os illorum qui mendacium loquuntur, obstruetur.

Psal. 64.

Præfecto cantorum oda Davidis.

AVdi Deus vocem meam in quemonia mea, serva vitam mea

ab hostis formidine:

Absconde me à consilio malorum, & à tumultu operantium iniquitatem.

Qui linguam suam instar gladii exacuunt, & ceu tenso arcu amara verba pro sagittis eiaculantur.

Vt in absconditis innocentem ferant, subitò ferant eum, nec quicquã metuunt.

Corroborant se in re mala cõmentantur inter se de abscondendis laqueis: dicunt enim, Quis uidebit eos?

Vestigant malitias, pervestigatam vestigationem absconderunt quisque in intimo, cordéque profundo.

At Deus sagitta ilios subitò ferier, quâ plagis afficientur.

Posternéntque super se linguam suam: quicunque aspexerint eos, stupefacti facessent.

Videbũt id cuncti mortales, & narrabunt opus Dei, & opera eius prudẽter expendent.

Lætabitur iustus in Domino, & se fidei illius committet: & omnes recti corde gloriabuntur.

Psal. 65.

Præfecto cantorum psalmus Davidis & canticum.

TIbi ô Deus silentium laus in Sion tibi persoluetur votum.

Tu exaudis precem: hinc omnis caro ad te venit.

Ratio iniquitatum superârat nos, tu verò transgressiones nostras expiasti.

Beatus quem tu elegeris, quem tibi adhibueris: habitabit enim ille in atriis tuis: satiabitur bonis domus tuæ, & sacris templi tui.

Terribilia in iustitia respondebas nobis, ô Deus salus nostra, ô asylum omnium finium terræ, quiq́ue remoti in mari degunt.

Qui montes virtute sua firmat, accinctus potentia.

Qui compescit strepitum marium, & strepitum vndarum eorum, & fremitum populorum.

Et timebunt à signis tuis, quicunque extremos fines inhabitant: facis ovare exitus matutini & vespertini temporis.

Visi-

Visitasti terram,& irrigasti eam ditasti eam ampliter, rivus Dei aquis exuberat tu paras eis frumentũ quandoquidem sic illam instruis.

Irrigas liras eius, & quiescere facis sulcos eius:facis eam guttis colliquescere, & germẽ eius fœliciter prouenire facis.

Coronas annum tuis bonis, & uehicula tua stillant pinguedinem.

Stillant pinguedine speciosa pascua deserti, colléſque exultatione, accinguntur.

Vestientur campi gregibus,& ualles amicientur frumento, iubilabunt atque canent.

Psal. 66.

Præfecto canterum canticum Psalmi.

IVbilate Deo omnis terra, Canite gloriam nomini eius, reddite gloriam laudi eius.

Dicite Deo, Quàm suspiciendus es in operibus tuis! ob amplitudinem virtutis tuæ supplices tibi erunt licèt falsò hostes tui.

Te adorabunt omnes habitatores

res terræ,& psallent tibi, psallent nomini tuo. Sela.

Huc agite, contemplamini opera Dei,quàm stupenda sint eius consilia super filios hominum.

Mutavit mare in aridam,fecit ut pedibus flumen transierint,ibi in eo lætabamur.

Virtute sua ab æterno imperat: oculi eius Gentes contemplantur, defectores haud quaquàm sese exaltabũt .Sela.

Prædicate ô populi Deum nostrũ, & efficite ut audiatur vox laudis eius.

Hic est qui animã nostram servavit in vita, nec permisit vacillare pedes nostros.

Etiamsi explores nos ô Deus, & excoquas nos ut argentum excoquitur.

Inducas nos in laqueum, catenam ponas in lumbis nostris.

Patiaris ut homines super capita nostra inequitent, veniamus in ignẽ & aquam:educis tamen nos in refrigerium.

Ingre-

Ingrediar ergo domum tuam cum holocaustus, uota mea tibi persoluam.

Quę effecerunt ut aperirem labia mea, & ut loqueretur os meum quùm essem in angustiis.

Holocausta pinguia offeram tibi cum incenso arietum, faciam bobus & hircis. Sela.

Venite, audite quotquot Deum timetis, narrabo quænam animæ meę fecerit.

Ad ipsum ore meo clamavi, & lingua mea exaltatus est.

Si iniquitatem respexissem in corde meo, non exaudisset me Dominus.

Iam autem exaudivit Deus, & vocem precationis meæ attendit.

Laudandus Deus, qui nec precem meam repulit, nec bonitatem suam à me subduxit.

Psal. 67.

Præfecto cantorum psalmus & carmen ad instrumenta musica.

Deus.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, atq; illuſtret inter nos lumen vultus ſui. Sela.

Vt cognoſcatur in terra via tua, & in omnibus gentibus ſalus tua.

Celebrent te populi ô Deus, celebrent te populi vniverſi.

Gaudeãt nationes, & ovent, quòd ius reddas ex æquitate populis, & nationes in terra deducas. Sela.

Celebrent te ô Deus populi, celebrent te populi vniverſi.

Terra verò reddat proventum ſuũ & benedicat nobis Deus, Deus noſter.

Benedicat nobis Deus, & metuant eum quicunque ad fines orbis uſq; habitant.

Pſal. 68.

Præfecto cantorum pſalmus & cantus Davidis.

SImul atq; exurgit Deus, inimici eius diſperguntur, & fugiunt à conſpectu eius, qui ipſum odio habent.

Quemadmodum diſpellitur fumus, ita diſpellis eos: & ſicut cera colliquescit

cit ab igne, sic dispereunt impii à conspectu Dei.

Iusti autem coram Deo gaudent & lætantur, & præ gaudio gestiunt.

Cantate Deo, psallite nomini eius: munite viam eius, qui supremo cœlo inequitat, in la nomine eius, exultate coram illo.

Patet est pupillorum, & causam agit viduarum, Deus, quamvis habitet in habitaculo sanctitatis suæ.

Deus qui orbis restituit familiam, educit qui vincti tenentur catenis: desertores autem terram torridam inhabitabunt.

Deus quùm tu ante populum tuum progredereris, quùm incederes per desertum. Sela.

Terra movebatur, & cæli distillabant coram Deo, quemadmodum tremuit iste Sinai, coram Deo, Deo inquam Israelis.

Ex munificentia, ô Deus pluviam destillabas hæreditatis tuæ, & laborãtem confirmabas.

Vt in ea habitaret grex tuus, præparasti pro bonitate tua pauperi ô Deus.

Domi-

Dominus dabat verbum annun
atricibus magni exercitus.

Reges ingentibus copiis instru
fugerunt, fugerunt inquam: qui do
desidebant, diviserunt spolia.

Etiamsi hactenus habitastis in
ollas, eritis posthàc ut pennæ colu
bæ argento obductæ: cuius alæ ful
sunt auro purissimo.

Quùm dissiparet Omnipotens
ea reges, candescebas veluti niv
Salmon.

Mons Dei est sicut Basan: mõs
caseis abundat, mons Basan.

Quare invidetis vos montes qu
tumvis clivosi, monti huic, quùm D
volupe sit habitare in eo? quin hu
perpetuò inhabitabit Dominus.

Equitatus Dei, habet bis dena m
lia, imò multa millia angelorum: D
minus inter eos sicut in Sinai, in s
ctuario.

Ascendisti in altum, cepisti cap
vitatem, accepisti dona in hominib
etiam defectores, vt habitet Do
nus Deus.

Laudandus Dominus, qui nos q
ti

tidiè cumulat beneficiis Deus salutis nostræ. Sela.

Deus noster, Deus ad salutes, Domino Deo exitus mortis:

Veruntamen vulnerat Deus caput hostium suorum, verticem capillatũ eorum qui in delictis suis ambulant.

Dixerat Dominus, Restituam meos, velut olim ex Basan, restituam ut olim ex profundis maris.

Propterea pes tuus, & lingua canũ tuorum sanguine rubet ab inimicis, ab ipso.

Viderunt incessus tuos ô Deus, incessus Dei mei, regisque mei, qui est in sanctuario.

Præcedebant cantores, post hos ludentes musicis instrumentis in medio, puellæ tympana pulsantes.

Vos qui estis de vena Israelis, in cœtibus laudate Dominum Deum.

Ibi Beniamin paruulus, qui potestate inter eos fungebatur: principes Iuda lapis illorum, principes Zebulon principes Naphtali.

Mandavit Deus tuus robur tuum, robora ô Deus quod fecisti nobis.

A templo tuo Ieroſolymis tibi
ferant reges munera.

Increpa cœtum haſtatorum, co
ualidorum cum vitulis populorũ
ſeſe contumaces præbent ut cũ fr
mentis argenti ueniant diſſipa ge
tes, quibus bella cordi ſunt.

Venient propter hoc optimates
Aegypto, Aethiopia feleriter m
nus ſuas Deo protendet.

Regna terræ cantate Deo, pſall
Domino, Sela.

Equitanti ſuper cœlos cœlor
ab initio, en edit vocem ſuam, uoce
præualidam.

Tribuite Deo fortitudinem. cu
magnificentia eſt ſuper Iſraelem, c
ius fortitudo eſt in æthere.

Tremendus es ô Deus de ſanctu
riis tuis, Deus Iſraelis ipſe dat rob
populo, propterea laudandus Du

Pſal. 59.

*Præfecto cantorum ſuper liliis cu
Davidis*

SEruato me, Deus, quoniam pe
trârunt aquæ ad animam uſq

Deme

Demersus sum in limum profundissimum, in quo non est fundum: decidi in profundissimas aquas, & undæ obruunt me.

Delassatus sum vociferando, aridũ factum est guttur meum: defecerunt oculi mei, suspiciendo ad Deum meũ.

Qui me immerito odio prosequuntur, plures sunt quàm capilli capitis mei: prævaluerunt qui absque causa me obterunt, inimici mei, ut quæ non rapui, rependere cogar.

Tu nosti ô Deus quæ per ignorantiam admisi, & delicta mea te haudquaquam latent.

Ne pudefiant in me ô Domine Domine exercituum qui te expectant, ne ignominia afficiantur in me ô Deus Israelis qui te studiosè quærunt:

Nam tui causa hoc opprobrium fero, faciem meam ignominia obtexit:

Alienus factus sum fratribus meis, extraneus filiis matris meæ:

Æmulatio enim pro domo tua exêdit me, & probra eorum, qui te probro afficiunt, in me reciderunt.

Siquando fletu & ieiunio affligebam me, idipsum quoque probro mihi vertebatur.

Sacco me pro veste involvebam, sic quoque fabula illis fiebam.

De me fabulantur qui desident in porta, & carmina canunt qui siceram bibunt.

At ego precem meam ad te ô Domine, siquãdo tempus sit ô Deus quo ob multam bonitatem tuam propitium te exhibeas, annue mihi pro fide tua qua opem ferre soles.

Eripe me è luto ne demergar, sim eripiar ab his qui me odio prosequuntur, & ab aquis profundis:

Ne me adobruant undæ aquarum, nêve deglutiat vorago, neque supra me os suum puteus claudat.

Annue mihi ô Domine, quando quidem benigna est bonitas tua: respice ad me iuxta multitudinem miserationum tuarum:

Et ne faciem tuam à servo tuo abscondas, nam affligor: propera, annue mihi.

Accedito propiùs ad animam meam

am ut eam ad feras: libera me propter inimicos meos.

Tu nosti quid feram opprobrii, quid pudoris, quid ignominiæ, coram te sunt qui me infestant.

Opprobrium frangit cor meum, afflictor: & expecto si quis mei causa circumcurrisset, sed nemo est: consolatores expecto, nec invenio.

Et dederũt in cibo meo fel: & quùm sitirem, potârunt me aceto.

Sit illis mensa sua laqueus: & ubi pacem sperant, illic impingant:

Obtenebrentur oculi eorum ne videant, & lumbos eorum fac semper labascere.

Effunde super eos furorem tuũ, & æstus iræ tuæ apprehendat illos:

Palatium eorum desolatum reddatur, nec sit qui tabernacula eorum inhabitet:

Nam eum quem tu percussisti, persequuntur, & ad dolorem vulneratorũ tuorum admetiuntur.

Fac ut illis iniquitas iniquitati accumuletur, nec unquam veniant in iustitiam tuam.

Deleantur de Libro viventium, &
inter iustos non scribantur.

Me verò, quandoquidem afflictus
sum & dolens, salus tua protegat
Deus.

Laudabo nomen Dei cum cantico
& extollam illud celebri laude.

Gratius id erit Domino, quàm
bovem offeram, aut vitulum cornu
producentem & ungulas.

Videbunt hæc mansueti, & gaude-
bunt: qui sedulò quæritis Deum, & vi-
vet cor vestrum:

Nam audit inopes Dominus: & vin-
ctos suos minimè spernit.

Laudent eum cœli & terra, maria
& quicquid reptat in illis.

Nam servabit Deus Sionem, & ur-
bes Iuda instaurabit: ibi habitabunt
terramque istam hæreditariò pos-
debunt.

Posteri seruorum eius in hæredi-
tem illam accipient: quicunque di-
gunt nomen eius, in illa habebunt ha-
bitationem suam.

Psal. 70.

Pro

Præfecto cantorum Davidis ad commemorandum.

DEus ut me liberes, accelera: Domine ut me adiuves propera.

Pudore & probro afficiantur qui vitæ meæ insidiantur: agantur retrò, & ignominiæ pateant, qui malis meis delectantur.

Repellantur eò quòd me pudefacere conantur, qui dicunt, Hæhæ, hæhæ.

Exultent & lætentur in te quicunque te sedulò quærunt: & qui amant salutem tuam, dicant iugitèr, Magnificetur Deus.

Ego autem ô Deus afflictus sum & inops, propera ad me, nam adiutor & ereptor meus tu es, Domine ne morêris.

Psal. 71.

IN te Domine speravi, ne finas ut in æternum pudefiam.

Pro tua iustitia erue me, & libera me: inclina ad me aurem tuam, & me servato.

Sis mihi vice robustissimæ rupis, ad quam iugitèr confugiam: constituisti

tuisti ut me servares: nam petra mea & arx mea tu es.

Eripe me ô Deus meus de manu impii, de vola perversi & violenti.

Quoniam tu es à quo pendeo, Domine Deus tu is es, quo à puero nitor.

Te nitor ab utero, ex visceribus matris meæ tu es extractor meus, de te laus mea iugitèr.

Factus sum ceu portentum multis: at tu asylum meum es prævalidum.

Replebitur os meum laude tua, quotidiè magnificentia tua.

Ne abiicias me tempore senectutis, quùm defecerit robur meum, ne me deseras:

Quoniam hostes mei de me loquuti sunt: quique observãt animam meam, vnà consultârunt:

Dicunt, Deus deseruit eum, persequimini, apprehendetis eum: nec enim erit qui eripiat.

Deus ne sis procul à me: Deus meus ut me adiuves propera.

Afficiantur pudore, pereant, qui vitæ meæ adversantur: obtegantur probro, & ignominia quotquot student me

me malo afficere.

At ego iugitèr expectabo, & omnibus laudibus tuis adiiciam.

Os meum enumerabit iustitiam tuam, quotidiè salutem tuam: neque enim numerum novi.

Veniam in fortitudinibus Domini Dei, memor ero iustitiæ tuæ solius.

Deus tu docuisti me à puero & usque in præsens admiranda facinora tua deprædicabo.

Quin & in senectam usque & canos haudquaquam deseres me, ô Deus donec prædicem brachium tuum generationi præsenti, fortitudinem tuam omni posteritati.

Et iustitiam tuam ô Deus in altũ efferam, qui tam ingentia patrâsti: quis tibi ô Deus conferendus?

Qui feciſti experiri me afflictiones multas & malas: rursum cõuersus uitæ me restitues, & ex abyssis terræ rursum subduces me:

Augebis dignitatem meam & rursum me consolaberis.

Et ego quoque celebrabo tibi in-

ſtrumento nablo fidem tuam de
meus, pſallam tibi cithara, ô Sanct
Iſraelis.

Ovabunt labia mea quùm cant
tibi, & anima mea quam redemiſti:

Quin & lingua mea quotidiè d
tua iuſtitia loquetur, quùm pudore
probro affecti fuerint, quicunque m
lo me afficere ſtudent.

Pſal. 72.

Solomoni, vel Solomonis.

DA Deus regi iudicia tua, & iuſtit
am tuam filio regis:

Vt ius dicat populo tuo ex iuſtiti
& afflictis tuis in iudicio.

Ferant montes pacem populo,
colles iuſtitiam.

Vindicabit afflictos in populo, ſa
vabit pauperes, & violentum calu
niatorem contundet.

Timebunt te dum ſol & luna lu
bunt, in omne ævum.

Deſcendat ceu pluvia ſuper de
ctum pratum, ut guttæ imbris ſenſi
irrigantis terram.

Florcant ipſo regnante iuſti, m
tat

taque pax sit, donec luna desierit.

Imperitet à mari ad mare usque, & à flumine usque ad terminos Terræ.

Coram illo procumbant accolæ deserti, & inimici eius pulverem lingant,

Reges mediterranei maris & insularum munera afferant, reges Schoba & Seba honoraria adducant:

Et adorent eum omnes reges, omnes gentes serviant ei:

Nam liberabit pauperem clamantem, & afflictum cui deest adiutor.

Beneficus erit in attritos & inopes: & animas pauperum servabit.

Redimet animas eorum à fœnore & violentia, & pretiosus erit sanguis eorum in oculis eius.

Et vivet, & dabitur ei de auro Schebaiorabunt pro eo iugitèr, & quotidiè eum laudabunt.

Et erit pugillus frumenti in terram in verticibus montium proiectus, ita ut fructus ex eo prognatus agitetur ut Libanus: progerminabuntque è civitate instar herbæ terræ.

Nomen eius perpetuò celebre e-

git

rit, dum sol luxerit, propagabitur nomen eius: beatosq; se censebunt in eo cunctæ gentes, & beatum eum prædicabunt.

Laudandus Dominus Deus, Deus Israelis, qui solus mira edit facinora.

Et nomen gloriæ eius perpetuò laudetur, & impleatur gloria eius vniversa terra. Amen & amen.

§ Finem habent precationes Davidis filii Isai.

Psal. 73.

Oda Asaph.

AT tamen bonus est Deus Israeli, his nempe qui mundo sunt corde.

Parùm abfuit quin nutârint pedes mei, ferè effusi sint gressus mei:

Nam vrebat me æmulatio propter stultos quùm prosperitatem impiorum viderem:

Neque enim sunt eis nexus ad mortem: quin pingues sunt & prævalidi

Nulla eos, vt reliquos mortales, premit molestia: malorum quibus alii homines afficiuntur, immunes sunt.

Hinc

Hinc fit ut ſuperbia eos totus poſſideat, & ceu veſte involuantur violentia.

Præ pinguedine oculi eorum exeſt, in imaginationibus cordis pergũt.

Contabuerunt, loquuntur violentiam & iniuriam: è ſublimi loquuntur.

Protendunt os ſuum in cœlum: & lingua eorum orbem pervagatur.

Propterea revertitur populus eius huc, & aquæ fœcundi calicis exprimuntur eis.

Quin & dicere audent, Quomodo hæc cognoſceret Deus? éſtne cognitio apud Altiſſimum?

En iſti, impii ſunt, & tamen fœlices ſunt in hoc ſæculo, aſſequuti divitias.

Profectò purum ſervavi cor meum, & fruſtrà manus meas innocentia abluo.

Plagáſque quotidiè pertuli, ſinguliſque diebus manè reprehenſus.

Quùm ad hunc inquam modum mecum reputarem, paũ abfuit quin à natione filiorum tuorum defecerim.

Inſti-

Instituebam cogitationem, si possem hæc cognoscere, sed idipsum molesta res erat in oculis meis.

Donec in secretiora Dei adyta penetravi, & donec intellexi ut postremò essent quique habituri.

Certè velut in lubrico constituisti eos, deiicies illos præcipites ut planè vastentur.

Quàm subita calamitate oppressi sunt, perierunt, & terroribus consūpti sunt?

Non aliter quàm somnium, quod avolat posteaquam quis evigilaverit, Domine despicatas reddes in civitate imagines illorum.

Quùm effervesceret fermenti instar cor meum, & renes mei acuebantur.

Bardus eram, nec quicquam intelligebam, & eram apud te velut pecus.

Semper tamen tecum eram, manum autem, dexteram meam tu apprehendisti.

Consilio tuo me deduxisti, & postea in gloriam me recipies.

Quis

Quis mihi in cœlis? & in terra tecũ nullo oblector.

Consumitur caro mea & cor meum: Deus autem petra est cordis mei, & portio mea in æternum.

Nam ecce, qui à te procul recedũt, peribunt: perdes omnem illum, qui à te deficit.

Ego itaque bonum mihi duxi Deo meo adiungere, posui Dominum Deum asylum meum, ut enarrem omnia opera eius.

Psal. 74.

Erudiens carmen Asaphi

ECquarè Deus pe petuò nos repellis? cur inquam fumat nasus tuus in gregem pascuæ tuæ?

Memor sis cœtus tui, quem iam pridem comparavisti & sortis hæreditariæ, quam venditasti: montis Sionis, in quo habitare es solitus.

Leva gressus tuos, ut funditùs vastes omnes hostes qui malum inferũt sanctuario tuo.

Rugierunt adversarii tui in medio synagogarum tuarum: signa sua posuerunt

fuerunt pro fignis.

Vt olim eorum qui fecuribus cędebãt denſa arborum ad ſtructurã templi, inſigne & nobile opus erat.

Ita habetur modò ſi quis ſculpturas eius pariter bipenni & malleis comminuit.

Sanctuaria tua igni incenderũt: ad terram affligentes tabernaculum nominis tui profanârunt.

Dixerunt in cordibus ſuis, Sæviemus in eos pariter: exuſſerunt cũctas ſynagogas Dei in terra.

Signa noſtra non videmus, nullus ſupereſt propheta: nemoque nobiſcũ qui ſciat quouſque tandem.

Quàm diu ô Deus probra in nos iaciet hoſtis, blaſphemabit hoſtis nomen tuum perpetuò?

Quare manum tuam & dexteram tuam retraxiſti? è ſinu plenè profer eam.

Equidem Deus rex meus ab initio, qui ſalutes in medio terræ operatur.

Tu virtute tua mare diſſipaſti, capita draconum in aquis confregiſti.

Tu confregisti capita ceti grandis, & incibum tribuisti eum populo desertum incolenti.

Tu excidisti fontem & fluvium, tu fluvios prævalidos exiccasti.

Tuus est dies, tua etiam nox, tu lucem & solem præparasti.

Tu cunctos fines orbis constituisti, æstatem & hyemem tu finxisti.

Sis memor huius, nempe quòd hostis probris afficit Dominum, & populus stolidus nomen tuum execratur.

Ne obiicias animã turturis tuę cœtui hostium, cœtus afflictorum tuorũ ne perpetuò obliviscaris.

Respice ad fœdus, quoniam tenebricosæ habitationes terræ violentia & iniuria repletæ sunt.

Ne pateant ignominiæ qui contriti sunt repulsã à te passi, afflicti & inopes potiùs laudent nomen tuum.

Exurge Deus, defende causam tuam, memor sis opprobrii tui, quo te quotidiè stolidi homines afficiunt.

Ne oblivioni tradas vocem infestorum tuorum: tumultus eorum qui cõtra

tra te insurgunt iugiter crescit.

Psal. 75.

Præfecto cantorum ode carminis Asaphi, ne perdas.

CElebrabimus te, Deus, celebrabimus: etenim propè est nomen tuum illis qui miranda facinora tua enumerant.

Quùm statutum tempus nactus fuero, ego quod æquum & rectum est iudicabo.

Diffluxerat terra, & quicunque eam inhabitabant: ego columnas eius suffulsi. Sela.

Dixi stolidis, Nolite insanire: & impiis, Nolite attollere cornu.

Nolite in sublime attollere cornu vestrum, nolite collo præfracto loqui.

Nam nec ab Oriente, nec ab Occidente, neque à Meridie exaltatio contingit.

Deus siquidem iudex est: is hunc deiicit, illum extollit.

Nam calix in manu Domini est vino meraco plene adornatus, è quo fundet

funderetattamen fæces eius exugẽt,ac epotabunt omnes impii in terra.

Ego autem in perpetuum annuntiabo,psallamque Deo Iacob.

Confringam quoque omne cornu impiorum, cornua verò iustorum erigentur.

Psal. 76.

Oda carminis Asaphi ad instrumenta musica, præfecto cantorum.

NOtus in Iuda Deus, præclarum nomen eius in *Israele.*

In Salem est tabernaculum eius, & mansio eius in Sione.

Illic confregit ignita iacula arcus, clypeum,gladium & bellum. Sela.

Illustrior es &magnificentior,quàm montes in quibus laceratur.

Prædæ se exposuerunt magnanimi, consopiti sunt somno suo,nihil virium invenientes in manibus suis omnes viri fortes.

Ab increpatione tua, Deus Iacob, consopitus est currus & equus.

Tu terribilis es,tu inquam, & quis consistet coram facie tua, simul atque

que ira tua exarserit?

E cœlo feciſti audire iudicium: terra timuit, & ſiluit.

Quùm exurgeret ad iudicandum Deus, ad ſervandum omnes afflictos terræ. Sela.

Etenim furor hominis ſedet in laudem tuam, quodque reliquum eſt irarum conſtringes.

Nuncupate vota, & perſolvite ea Domino Deo veſtro: quotquot eſtis in circuitu eius, offerte munera terribili.

Qui intercipit ſpirirum principũ, & eſt terribilis regibus terræ.

Pſal. 77.

Pſalmus Aſaphi pro Iedushum præfecto cantorum.

Voce mea quùm clamarem ad Deum, ad Deũ quùm clamarẽ voce mea, aurem præbebat mihi.

Quo tempore anguſtum mihi erat, Dominũ quærebam, manus mea nocte ſparſa erat ſine ceſſatione, renuebat conſolari anima mea.

Dei memoriam quùm repeterem

infre-

infremebam, querulabar, & deficiebat spiritus meus. Sela.

Tu tenebas vigilias oculorum meorum: attonitus eram, ut loqui non possem.

Tunc repetebam retrò tempora, & annos priorum sęculorum.

In memoriam revocabam carmina mea, noctu cum corde meo colloquebar, spiritus meus rimatus est,

Num perpetuò repudiabit Dominus? num vnquam placidus fiet vltrà?

Periitne in perpetuum bonitas eius? finémne habet in omnes ætates oraculum?

Oblitus éstne misereri Deus? cōtinebítne in ira misericordias suas? Sela.

Tandem cogitabam, Hæc mea est infirmitas dextera Excelsi vices mutat.

Recordabar operum Domini, memoria repetebam mirabilia facinora tua quæ olim edidisti.

Meditabar quoque in omnibus operibus tuis, & de consiliis tuis loquebar.

O Deus, viæ tuæ sunt in sanctitate
ob id dico, quis deus magnus ut Deus
Tu Deus es qui admiranda facis
claram reddidisti in populis virtutem
tuam.

Vindicasti in brachio populum tu
um, filios scilicet Iacob & Ioseph
Sela.

Viderunt te aquæ ò Deus, viderunt
te aquæ, & viribus destitutæ sunt, con
territæ etiam sunt abyssi,

Densæ nubes nimbos depluerũt, nu
bes ediderunt tonitru, quin & sagitt
tuæ discurrerunt.

Vox tonitrus tui in rota, fulgura
orbem emicuerunt, tremuit ac mot
est tellus.

In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ
aquis prævalidis: & vestigia tua non
deprehensa sunt.

Ducebas velut gregem populum tu
um per manum Mosis & Aaronis.

Psal. 78.

Erudiens carmen Asaphi.

AVsculta populo mi institutionem
meã, inclinate aures vestras ad
sermonem

sermones oris mei.

Aperiam ad insignia quędam facta os meum, eloquar abstrusa quædam temporis prisci:

Quæ audivimus, quæque cognovimus, & quæ patres nostri narraverunt nobis.

Neque nos ergo celabimus ea filios eorum, ætatibus posteris narrabimus laudes Domini, robur eius, stupendáque opera eius quæ gessit.

Constituit enim contestatione quadam in Iacob, & legem tulit in Israele, qua præcepit patribus nostris, ut ea nota facerent filiis suis:

Vt cognoscat ætas postera, filii qui nascituri sunt, quùm adoleverint, narrent eadem filiis suis.

Indéque in Deo fiduciam suam ponant, nec obliviscantur operum Dei, mandatáque eius observent:

Nec evadant similes patribus suis, nationi deficienti & rebelli, nationi quę rectè cor suum haudquaquam instituit, & cuius spiritus nunquam verè Deo credidit.

Filii Ephraim armati, & iaculantes

lãtes arcu, verterũt terga in die be

Non obſervârunt fœdus Dei, & i lege eius nolucrunt ambulare:

Sed obliti ſunt factorum eius, & mirandorum facinorum eius quæ i lis oſtenderat.

Coram patribus eorum ſtupen öpera fecit in terra AEgypti in cam po Soan.

Secuit mare, & traduxit illos: co ſiſtere iuſſit aquas velut acervum.

Et deduxit eos interdiù nube, ſingulis noctibus per lumen ignis.

Secuit rupes in deſerto, & potũ dedit ut ex magno abyſſo.

Et eduxit rivos è petra, & fecit de currere tanquam flumina aquas.

Adhuc tamen peccârunt ei, & e aſperârunt Excelſum in ſolitudine:

Et tentauerunt Deum in cor ſuo, quùm poſcerent cibũ animab ſuis.

Et contra Deum loquuti ſunt, d centes, Num poteſt Deus menſa inſtruere in deſerto?

En dicebant, petram percuſſit, effluxerunt aquæ, & fluvii inundar

dum

num & panem dare poterit? num parare carnes poterit populo suo?

Idcircò Dominus hæc audivit, & exarsit, & succensus est ignis contra Iacob, & ira contra Israelem ascendit:

Quòd non credidissent Deo, & in salutem eius non speravissent.

Et mãdavit nubibus supernè, & hostia cœli aperuit:

Et depluit illis Man ut ederent, & frumentum cœleste dedit eis.

Panem fortium edit homo, demisit illis commeatum ad saturitatem usque.

Cœlo movit Eurum, & virtute sua Africum adduxit:

Et depluit super eos carnem tanquam pulverem, & alatas volucres, velut arenam maris.

Quas deiecit in medium castrorum illorum, & circum tabernacula eorum.

Et ederunt saturatique sunt abundè, & satisfecit gulæ eorum.

Non sunt fraudati desyderio suo tratque adhuc cibus eorum in

ore ipsorum,

Quùm ira Dei desæ vit in eos oc-
cidítque pingues eorum, atque selec-
tiores in Israele deiecit.

Super hæc omnia iterùm contra
eum peccauerunt, nec stupendis eius
factis fidem habuerunt.

Temerè ergo finivit dies eorum, &
annos eorum celeriter.

Quùm trucidaret eos, quærebant
ipsum, ac maturè ad Deum supplican-
do revertebantur:

Tum recordabantur Deum esse ip-
sorum petram, & Deum excelsum es-
eorum redemptorem.

Ore suo blanditi sunt ei, lingua au-
tem sua ei mentiebantur:

Cor eorum non erat rectum erga
illum, nec fidi fuerunt in fœdere eius.

Ipse tamen ad misericordiam pro-
pensus, propitius fuit iniquitati eorum,
nec disperdidit, & sæpenumerò reuo-
cavit iram suam, nec omnem suam
excandescentiam excitavit:

Memor quòd caro essent ipsi, &
ventus qui abit, nec redit.

Quoties exasperârunt eum in de-

deserto, & molesti ei fuerunt in solitudine.

Vt aversi tentarent Deum, sanctũque Israelis circunscriberent?

Non fuerunt memores manus eius, nec temporis illius quo eos ex angustiis redemit:

Signorum quoque eius quę fecit in AEgypto, & portentorum quæ edidit in territorio Soan:

Quùm lacus eorũ verteret in sanguinem, & rivos eorum, ne biberent.

Immisit in eos turbam insectorum, quæ vorârunt illos, & ranas quæ eos perdiderunt.

Et dedit brucho proventum eorũ, & laborem eorum locustis.

Perdidit vineas eorum grandine, & sycomoros eorum concretis ex nube lapidibus.

Tradidit quoque grandini iumenta eorum, & pecora eorum ignis iaculis.

Immisit in eos ęstum nasi sui, impetum, indignationem & angustiam, immissiones malorum per angelos malos.

Librauit semitam iræ suæ, animæ illorum à morte non pepercit, sed uitam eorum pesti deuouit.

Percussitque omne primogenitum in AEgypto, primitias dolorum, in tentoriis Cham:

Et traduxit populum suum tanquã gregem minauit eos ut gregem per desertum.

Deduxit eos tutò ut non expauescerent: hostes uerò eorum mare obtexit.

Et introduxit eos ad terminum sanctuarii sui: ad montem istum, quẽ uendicauit dextera eius.

Expulit ante eos Gentes, admensus est eis hæreditatem func, & fecit habitare in tentoriis illorum tribus Israel.

Attamen tentârunt & exasperârũ Deum excelsum, & testimonia eius nõ servârunt.

Sed deflexerunt, & perfidè egerunt quemadmodum patres eorum, retroacti, ut arcus qui fallit.

Provocaverunt eum ad iram in excelsis suis, & sculptilibus suis eum ad æmula-

æmulationem accenderunt.

Audivit Deus,& commotus est, & admodùm aversatus est Israelem:

Ita ut desereret tabernaculum Silo, tentorium in quo inter homines habitabat.

Permisit capi virtutem suam,& tradidit magnificentiam suam in manũ hostis:

Tradidit populum suum in gladiũ, & contra hæreditatem suam indignatus est.

Iuvenes eius voravit ignis,& virgines eius non sunt laudatæ.

Sacerdotes eius gladio cecidertũt: & viduæ eius non fleverunt.

Et evigilavit acsi dormisset Dominus,tanquam heros aliquis fortis,prę vino iubilans.

Et percussit hostes suos in podicem: sempiterno opprobrio eos affecit.

Et repudiavit tentorium Ioseph,& tribum Ephraim non elegit:

Sed tribum Iuda elegit, montem Sion,quem dilexit.

Et extruxit sanctuarium suum

tanquam excelsa palatia, veluti terram quam fundavit ut perpetuò subsistat.

Et elegit Davidem seruum, à caulis ovium tulit eum:

Post fœtas euntem abduxit eum, ut pasceret Iacob populum suum, & Israelem hæreditatem suam.

Pavit igitur eos pro integritate cordis sui, & minavit eos manibus suis in prudentia.

Psal. 89.

Psalmus Asaphi.

VEnerunt Deus Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt regiam sanctuarii tui, redegerunt Ierusalem in aceruos lapidum.

Dederunt cadavera servorum tuorum, cibum volucribus cœlorum, & carné beneficorũ tuorũ bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum circa Ierusalem velut aquam: nec est qui sepeliat.

Probro facti sumus vicinis nostris, irrisioni & ludibrio his, qui circum nos habitant.

Quo-

Quousque tandem ô Domine? succensebísne perpetuò? ardebítne ceu ignis æmulatio tua?

Effunde iram tuam in Gentes, quę te non agnoscunt: & in regna, quę nomen tuum non invocant:

Nam vorârunt Iacob, & habitaculum eius vastârunt.

Ne sis nobis memor iniquitatum priorum, subitò antevertat nos misericordia tua: nam vehementer attenuati sumus.

Auxiliare nobis ô Deus salutis nostræ, propter gloriam nominis tui: & libera nos, & propitius sis peccatis nostris propter nomen tuum.

Cur dicerent Gentes, Vbi est Deus eorum? nobilis evadat inter Gentes nobis videntibus, vltio sanguinis servorum tuorum qui effusus est.

Penetret in conspectum tuum gemitus vinctorum: pro magnitudine brachii tui fac superstites eos qui mortiiam addicti sunt.

Repende vicinis nostris septuplũ in sinum eorum, opprobrium eorum quo te ô Domine affecerunt:

Et nos populus tuus, & grex pascuorum tuorum te celebrabimus in sæculum,& per omne ævum prædicabimus laudes tuas.

Psal. 80.

Testimonium & Psalmus Asaphi præfecto cantorum super liliis.

O Pastor Israelis ausculta : ô tu qui minas velut gregem, Ioseph, quique insides cherubim, affulge.

Ante Ephraim, Beniamin, & Manasse potentiam tuam excita, & veni ad servandum nos.

Deus restitue nos,& fac illucescere faciem tuam,& salvi erimus.

Domine Deus exercituum, quousque tandem excandesces in oratione populi tui?

Lachrymis velut pane cibasti eos, & pro potu propinasti eis lachrymas maxima mensura :

Posuisti nos ut materia simus vicinis nostris iurgandi:utque hostes nostri nobis illudant.

Deus exercituũ restitue nos,fac illucescere faciem tuam,& salui erimus.

Vitem

Vitem ex Ægypto traduxisti, quam eiectis Gentibus plantasti.

Repurgasti diligenter superficiem eius, & quùm radices suas egisset, terram occupavit.

Vmbra eius montes obtexit, rami eius cedros Dei.

Extendebat ad mare palmites suos, & usque ad fluvium pampinos suos.

Quarè rupisti sepem eius, ut ex ea decerpant quicunque illâc transeunt?

Aper è saltu eam vastat, & omnis generis feræ quæ in agris degunt, eam depascuntur.

Deus exercituum redi obsecro, intuere è cœlis, aspice, & invise vineam istam:

Vitiarium quod plantavit dextera tua, & propaginem ipsam quam tibi roborasti.

Exusta est igni, amputatáque: ab increpatione vultus tui peribunt.

Sit manus tua cum viro dexteræ tuæ, cum filio hominis quem tibi coroborasti.

Et non retroflectemus à te: dum vitam nobis restituis, in nomine tuo invocabimus.

O Domine Deus exercituum, restitue nos, fac illucescere faciem tuam, & salvi erimus.

Psal. 81.

Asaphi præfecto canticum super torcularibus.

IVbilate Deo robori nostro, classicú canite Deo Iacob:

Sumite psalmum, date tympanum, citharam suavem cum nablo:

Clangite cornu nova luna, statо die sacrificii nostri.

Hic enim ritus est Israeli, ius Deo Iacob:

Testimonium hoc posuit in Ioseph, quùm exiret de terra AEgypti ubi labiũ quod non cognôram, audiebam.

Subduxi oneri humerum eius: & manus eius ab ollis conficiendis transibant.

In angustiis invocabas me, & eripiebam te: clàm per tonitru, respondebam tibi: periculum tui faciebam

ad

ad aquas iurgii. Sela.

Audi populo meus, conteſtabor enim te O Iſrael, ſi me audieris,

Non erit in te Deus alienus, neque adorabis Deum peregrinum,

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra AEgypti: dilata os tuum, & implebo illud.

At populus meus vocem meam nō audivit, & Iſrael noluit me.

Permiſi igitur eos libidini cordis ipſorum, ut irent iuxta conſilia ſua.

O ſi populus meus audiſſet me, ſi Iſrael in uiis meis ambulâſſet.

Quam breui animicos eorum deieciſſem, & contra infeſtantes eos uertiſſem manum meam.

Qui odio habent Dominum, eſſēt illis ſeruilirer ſupplices, ipſorum autē læuum perpetuum eſſet:

Et cibaret eum medulla tritici, & melle de petra te ſatiaſſem.

Pſal. 82.

Oda Aſaphi.

DEus conſtitit in cœtu Dei, in medio deorum iudicem agit.

Quouſque

Quousque tandem inquiens iudicabitis iniquè, & facies impiorum suscipietis? Sela.

Vindicate pauperem & pupillũ, afflictum & miserum absoluite.

Eripite tenuem, & inopem de manu impiorum liberate.

Nihil nôrunt, nec intelligunt, in tenebris ambulant: nutant cuncta fundamenta terræ.

Equidem dixeram, Vos dii estis, & vos omnes & filii Excelsi:

Veruntamen sicut reliqui homines moriemini, & sicut unus ex principibus cadetis.

Surge Deus, iudica terram: nam tibi vniversæ gentes hæreditario iure debentur.

Psal. 83.

Carmen Psalmi Asaphi.

NE te in silentio contineas, ô Deus: ne dissimules, néve cesses, ô Deus.

Ecce enim hostes tui tumultuantur: & qui te odio habent, extollunt caput.

Ad

Adversùs populum tuum vafrè cõsultârunt, contra absconditos tuos inierunt consilium.

Dixerunt, Agite, deleamus eos, ne sint ampliùs gens, vt ne mentio quidẽ sit ultrà nominis Israelitici.

Quoniã unà ex corde conspirârunt, fœdus adversùs te icerunt.

Tentoria Edom & Ismaelitarum, Moabitarum & Hagarenorum,

Gebalitæ, Ammonitæ, & Amalecitæ, Palæsthini cum Tyriis.

Assyrii quoque illis iũcti sunt, brachium fuerunt filiis Lot. Sela.

Fac illis ut Madianitis, ut Sisere, ut Iabin ad torrentem Kison.

Qui fracti sunt in Endor, facti sterquilinium terræ.

Fac ut ipsi principésque eorum habeant sicut Oreb, & Zeeb, sicut Zebah & Salmuna cuncti illorum duces:

Qui dixerunt, Vendicemus nobis habitacula Dei.

Deus meus, redige huc illos ut sint ceu rota, & ut stipula coram vento:

Vt ignis incendens syluam, & ut flamma montes comburens.

Sic persequitor eos procellis tuis, & turbine tuo consterna illos.

Perfunde facies eorum ignominia ut requirant nomen tuum Domine.

Pudefiant & consternantur in omne ævum, pudore afficiantur & pereant.

Vt cognoscant quòd tu, cuius nomẽ Dominus, solus es excelsus super omnem terram.

Psal. 84.

Psalmus filiorum Corah præfecto cantorum ad torcularia.

QVàm sunt amabilia, ô Domine exercituum, tabernacula tua.

Ardet & etiam deperit anima mea ad atria Domini, cor meum & caro mea clamant ad Deum vivum.

Etiam passer invênit sibi domicilium, & hirundo nidum ubi reponat pullos suos, nempe altaria tua ô Domine virtutum, rex meus & Deus meus.

Beati qui in domo tua habitant, perpetuò te laudabunt. Sela.

Fœlices illi homines, quorum robur in te situm est, in quorum cordibus semitæ tuæ sunt.

Transeuntes vallem fletus, fontibus, abundantem reddent, etiam piscinas replebit pluvia.

Ibunt de virtute in virtutem, comparebit quisque eorum apud Deum in Sion.

Domine Deus exercituum, exaudi orationem meam, auscultа Deus Iacob. Sela.

Clypeus noster aspice Deus, & intuere faciem uncti tui:

Quia potior est dies in atriis tuis, quàm alibi mille: malo ad limen desidere domus Dei mei, quàm habitare in tentoriis impiorum:

Nam sol & clypeus est Dominus Deus, dabit Dominus gratiam & gloriam: nullo bono destituit eos qui in integritate ambulant.

O Domine exercituum, fœlix homo qui in te confidit.

Psal. 85.

Psalmus filiorum Corah præfecto cantorum.

PRopitius eris ô Domine terræ tuæ, captivitatem Iacob avertes.

Auferes iniquitatem populi tui, obteges cuncta iplorum peccata. Sela.

Tolles omnem æstum tuum: fervorem iræ tuæ sedabis.

Restitue nos Deus salutis nostræ, solue tuam erga nos indignationem.

Num continentèr succensebis nobis? extrahes furorem tuum in omne ævum?

An non tu is es, qui conversus, uitæ nos restitues, & populus tuus in tetzetabitur?

Ostende nobis ô Domine bonitatem tuam, & salutem tuam da nobis.

Audiam quid Dominus Deus loquatur: quoniam loquetur pacem ad populum suũ, & ad beneficos suos, ne recidant ad stultitiam.

Profectò salus eius propè adest iis qui ipsum timent, ut inhabitet gloria in terra nostra.

Bonitas

Bonitas & veritas sibi invicem occurrent, iustitia & pax se mutuò osculabuntur.

Fides è terra progerminabit, & iustitia è cœlis prospiciet.

Etiam Dominus dabit bonitatem, & terra nostra reddet proventum suum.

Iustitia anteambulabit coram eo, & ponet in via gressus suos.

Psal. 86,

Precatio Davidis.

PRæbe mihi Domine aurem tuam, & annue mihi: nam afflictus sum & miser.

Custodi vitam meam, quoniam beneficus sum: serva tu Deus meus servum tuum, qui in te confidit.

Beneficus esto mihi ô Domine, quoniam te quotidiè invoco.

Exhilara animum servi tui: nam ad te ô Domine animum meum attollo.

Etenim tu Domine bonus es & propitius, amplâ bonitate in omnes qui te invocant.

Aus.

Auſculta Domine precationi meæ, & attende voci deprecationis meæ.

Quo die in anguſtiis ſum, te invoco: nam ſoles mihi annuere.

Non eſt tibi ô Domine inter deos quiſquam conferendus, nec eſt qui faciat opera qualia tu facis.

Cunctæ Gentes quas feciſti venient, & adorabunt coram facie tua ô Domine, & nomen tuum cum gloriâ prædicabunt:

Quandoquidem magnus tu, quique ſtupenda edis facinora, tu ſolus es Deus.

Dirige me Domine in viis tuis, tũc ambulabo in veritate tua: coge pectus meum, ut timeat nomen tuum.

Celebrabo te Domine Deus meus ex toto corde meo, & nomen tuũ perpetuò cum gloria celebrabo:

Magna ſiquidem eſt in me bonitas tua, & liberaſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus ſuperbi inſurrexerunt adverſùs me, & cœtus violentorum quæſiũt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

At

At tu Domine Deus pronus es ad misericordiam, propensus ad beneficentiam, tardus ad iram, multæ bonitatis & fidei.

Respice ad me, & beneficus esto mihi: da robur tuum servo tuo, & serva filium ancillæ tuæ.

Ede signum aliquod bonitatis erga me tuæ: ut qui me odio habent, pudore suffundantur, quùm viderint quòd tu ô Domine me iuveris, & consolatus sis me.

Psal. 87.

Psalmus & canticum filiorum Core.

FVndamenta eius in montibus sanctis.

Diligit Dominus portas Sionis, præ omnibus tabernaculis Iacob.

Præclara in te dicuntur, ô civitas Dei. Sela.

Faciam meminisse Rahab & Babylonis, hos qui me noverunt, en Palæsthina & Sor cum Æthiopibus, ille natus est in ea.

At de Sione dicetur, Vir & vir natus

tus est in ea, & ipse excelsus confirmat eum.

Dominus conscribendo numerabit populos, insignis ille natus est in eis. Sela.

Cantores simul cum ducentibus chorum, omnes scaturigines meæ in te.

Psal. 88.

Carmen Psalmi filiorum Corah, præfecto cantorum de miseria ad affligendum, erudiens carmen ipsius Heman Exrahitæ.

DOmine Deus salus mea die ac nocte clamo coram te.

Veniat precatio mea in conspectu tuũ, inclina aurẽ tuam clamori meo.

Nam anima mea satiata est malis, & vita mea usque ad sepulchrum pertigit:

Quin iam reputor inter eos qui in foveam subeunt, sum ut vir cui nihil est virtutis.

Vt liber à rebus huius uitæ, annumeratus sum mortuis, uelut interépti qui dormiũt in sepulchro, quorũ nulla ampli-

ampliùs supereſt memoria, quiq́ue à manu tua abſciſſi ſunt.

Collocaſti me in foveam inferiorem, in loca tenebroſa atque profunda.

Incubuit in me feruens indignatio tua, omnibus fluctibus tuis deieciſti me, Sela.

Effeciſti ut noti mei procul à me diſcederent, reddidiſti me illis abominandum: concluſus ſum, ut egredi non poſſim.

Dolet oculus meus prę afflictione, invoco te ô Domine tota die, ad te expando manus meas.

Ediſne admiranda facinora mortuis? nũ mortui reſurgent & celebrabunt te? Sela.

Num annuntiabitur in ſepulchro bonitas tua? aut fides tua in interitu?

Num cognoſcentur mirabilia tua in tenebris, aut iuſtitia tua in terra, ubi omnium rerum eſt obliuio?

At ego ad te ô Domine clamaui, & oratio mea manè te præueniet.

Cur

Cur repellis animam meam ô Domine: abscondis à me faciem tuam?

Afflictus ego sum, & tantum non animam ago ab adolescentia: & animi dubius terrores tuos fero.

Super me transiêrunt furores tui, & terrores tui me confecerunt.

Circundederunt me inquam velut aquæ quotidiè, cinxerunt me pariter.

Effecisti ut procul à me sint amici & proximi, ut noti mei sint in tenebris.

Psal. 89.

Erudiens Ethan Ezrahitæ.

BOnitates Domini perpetuò cani fidem tuam ore meo notam faciã in omne ævum.

Sic enim apud me statui, Bonitas tua perpetuò ędificabitur, in ipsis cœlis fidem tuam confirmasti.

Pepigi fœdus cum electo meo, juravi Davidi servo meo:

Semen tuum in æternum confirmabo, & stabiliam solium tuum ad omnem posteritatem, Sela.

Cœli admiranda facinora tua celebrant

celebrant ô Domine, quin & fidem tuam in cœtu sanctorum.

Quis enim in æthere æquabitur Domino? aut quis inter filios fortium Domino assimiletur?

Deus vehementer formidandus in concilio sanctorum, & tremendus super omnes qui circum ipsum sunt.

Domine Deus exercituum, quis ut tu, præstans virtute ô existens? omnia circum te, fides sunt.

Tu potestatem exerces in fastum maris: quùm attollit fluctus suos, tu compescis eos.

Tu contudisti tanquam cadaver superbum: brachio roboris tui dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem, & quidquid in eo est, tu fundasti.

Aquilonem & Meridiem tu condidisti, Tabor & Hermon in nomine tuo ouabunt.

Tu brachium habes omnipotentia præditum, roboras manum tuam, attollis dexteram tuam:

Iustitia & æquitate stabilitum

tum est regale solium tuum: bonitas & fides antecedunt faciem tuam.

O igitur fœlicem populum qui agnoscit clangorem: ô Domine tales in lumine vultus tui incedent:

In nomine tuo quotidiè exultabunt, & in iustitia tua sese attollent.

Tu enim decus es fortitudinis eorum, & pro benevolentia tua extolles cornu nostrum.

Quoniam Domini est clypeus noster, & Sancti Israelis rex noster.

Tum loquutus es per visum bonis tuis, & dixisti,

Auxilium suppeditabo heroi, exulli electum è populo.

Inveni Davidem seruum meum, oleo meo sancto unxi eum:

Vt manus mea firma esset cum eo, quin & brachium meum roboraret eum.

Hostis non imponet ei, pravus non affliget eum.

Imò conteram ante faciem eius hostes eius, & odientes illum confciam.

Fides

Fides mea & bonitas mea cum ipso erunt, & in nomine meo altum erit cornu eius.

Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.

Ipse inuocabit me, dicens: Pater meus es tu, Deus meus, & petra salutis meæ.

Etiam ego primogenitum constituam illum, excelsiorem regibus terræ.

In sempiternum custodiam illi bonitatem meam, & fœdus meum firmum ei permanebit.

Efficiam ut perpetuum sit semen eius, & solium eius sicut dies cœli.

Si filii eius legem meam deseruerint, & in iudiciis meis non ambulauerint:

Si statuta mea prophanârint, & præcepta mea non custodierint:

Prevaricationes eorum virga visitabo, & iniquitates eorum flagellis.

At bonitatem meam non auferam ab eo, nec fallam illi fidem meam:

Nõ prophanabo fœdus meũ, quod

que egressum est de labiis meis, non quam mutabo.

Semel per sanctitatem meam juravi, haudquaquam Davidem fefellero.

Semen eius in æternum erit, solium eius coram me ut sol perstabit,

Firmum ut luna manebit, quæ est certus in æthere testis. Sela.

At tu repulisti, aversatus es, succensusque ira contra Christum tuum.

Dissoluisti fœdus quod cum servo tuo pepigisti, humi contaminasti diadema eius.

Dirupisti omnes sepes eius, munitiones eius contrivisti.

Diripiunt eum quicunque transeunt viam, opprobrio factus est vicinis suis.

Extulisti dexteram eorum qui infesti sunt, cunctos hostes eius exhilarasti.

Etiam retudisti aciem gladii eius, nec superiorem fecisti eum in prælio.

Effecisti ut cessârit dignitas eius, solium eius in terram collisisti.

Pro

Præcidisti dies iuventutis eius, obtexisti eum ignominia. Sela.

Quousque abscondêris ô Domine, nunc in perpetuum? ardebitne ut ignis feruens indignatio tua?

Memor sis quantuli æui ego sim: num frustrà condideris vniuersos homines?

Quis enim vir est qui viuat, & non moriatur? qui eripiat vitam suam à violentia sepulchri? Sela.

Vbi sunt ô Domine, bonitates tuæ priscinæ, quas Dauidi ex fide tua iurasti?

Memor sis ô Domine, opprobrii quod ferunt serui tui: tuli in sinu meo cuncta opprobria multorum populorum,

Quibus nos affecerunt inimici tui ô Domine, quibus affecerunt vestigia Christi tui.

Laudandus Dominus in æternum. Amen & amen.

Psal. 90.

Oratio Mosis viri Dei.

DOmine tu habitaculum nobis fuisti per omnia secula.

Priusquàm montes nascerentur, & terra formaretur ac orbis, à sæculis usque ad sęcula tu es Deus.

Tu reducis hominem donec conteratur, ac tum dicis, Reuertimini mortales,

Nam mille anni coram te sunt ut dies hesternus qui præterit, imò ut noctis vigilia.

Ceu nimbum dilabi illos impetu quodam facis, sunt velut somnium manè velut herba immutantur,

Quæ manè floret, ac vires accipit, vesperi arefacta resecatur.

Etenim ira tua deficimus, & feruente indignatione tua terremur.

Iniquitates nostras in conspectum tuum collocasti, occulta nostra in lumen faciei tuæ:

Nam cuncti dies nostri te irascente dilabuntur, annos nostros finimus dicto citiùs.

Dies annorum nostrorum quibus vivimus, anni sunt septuaginta, aut ad summum octoginta: iam pręstantissimum horum labor est & molestia: velociter transit, nosq; avolamus.

Quis

Quis uim iræ tuæ nouit? ut te qui-
que timent, ita in eos indignatio tua
est.

Vt ergo dierum nostrorum numerum sciamus, tu nobis planè indica, ut sapientiæ animum intendamus.

Redi ô Domine, quousque? placare seruis tuis.

Satia nos mane bonitate tua, ouabimus & lætabimur cunctis diebus nostris.

Exhilara nos pro diebus quibus nos afflixisti, pro annis quibus mala sumus experti.

Effulgeat in seruis tuis opus tuum, gloriáque tua in filiis eorũ appareat.

Et decor Domini Dei nostri adsit nobis, & opus manuum nostrarum in nobis confirma, opus inquam manuũ nostrarum confirma.

Psal. 91.

SEdens in abdito Excelsi, sub umbra omnipotentis commoratur.

Dicam Domino, Asylum meum & arx mea, Deo meo niter.

Nam is à laqueo venatoris, & à

peste exitiali te liberabit:

Alis suis te obteget, sub pennis eius tutus eris, tectus fide eius tanquam lancea & parma:

Ut neque nocte metuendum sit tibi à terroribus, neque interdiù à sagitta volante:

Non à peste quæ in obscuro grassatur, nõ ab exterminio vastante meridie.

Cadant licet à latere tuo mille, & à dextris tuis decem millia, ad te tamen non pertinget.

Duntaxat talionem impiis reddi videbis, & inspicies tuis ipsius oculis:

Quoniam tu ô Domine asylum meum es quo nitor, in edito collocasti habitationem tuam:

Non accidet tibi malum, neq; plaga tabernaculo tuo appropinquabit:

Nam angelis suis tua causa præcipiet, ut in omnibus viis tuis te custodiant:

Manibus te gestabunt, ne ad lapidem pes tuus impingat.

Pardum calcabis & aspidem, conculcabis leunculum atque draconem.

Quan-

Quandoquidem me amplexus est, eruam eum, superiorem eum faciam: agnovit enim nomen meum.

Me invocabit, ideò eum exaudiam; adero ei in afflictione: eripiam eum, & glorioſum eum reddam:

Vita longæva ſatiabo eum, & exhibebo ei ſalutem meam.

Pſal. 92.

Oda carminis ad diem ſabbathi.

COmmodum nunc eſt celebrare dominum, & pſallere nomini tuo ô Altiſſime,

Prædicare manè bonitatem tuam, & fidem tuam in noctibus,

Ad decachordum, ad nablum, ad higgaion, cum cithara.

Tu enim ô Domine, operibus tuis me exhilaras, in factis manuum tuarum ovabo.

Quàm magna ſunt facta tua ô Domine, vehementer profunda conſilia tua.

Vir ſtupidus iſtuc non cognoſcit, neque ſtultus intelligit,

Quòd quùm impii ſicut herba germi-

minant, in hoc floreant cuncti iniqui, ut in perpetuum excindantur.

Tu autem excelsus es in sempiternum ô Domine.

Nam ecce inimici tui ô Domine, ecce inquam inimici tui pereunt, dispergentur quicunque dediti sunt iniquitati.

Meum verò cornu extolletur ut monocerotis, tunc delibutus ero oleo virenti:

Et videbit oculus meus in insidiantibus mihi: audiet de his qui in me insurgunt, grata auris mea.

Justus ut palma florebit, & sicut cedrus in Libano in altum succrescet.

Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt.

Adhuc in senecta germinabunt, succulenti & virentes:

Ad prædicandum, quòd æquus sit Dominus, petra mea, neque ulla sit in eo pravitas.

Psal. 93.

DOminus rex est, induit celsitudinem, induit inquam Dominus robur,

rubur, séque accinxit: quin & orbis sic firmatus est, ut non nutet.

Iam inde ab exordio constitutum est solium tuum: nam tu ab æterno es.

Sustulerunt flumina ô Domine, sustulerunt inquam flumina strepitũ suum, sustulerunt flumina fluctus suos.

At plus quàm strepitus aquarum immanium, procellarúmque maris admirabilium, potens est Dominus qui in excelso præsidet.

Quæ enim tu testatus es super domo tua pulchra & sancta, vera, & firma permanebunt ô Domine in longissima tempora.

Psal. 94.

DOmine Deus scelerum ultor, deus ultor, conspicuus appare:

Attolle te ô iudex terræ, redde talionem superbis.

Quousque impii Domine, quousq; impii petulanter exultabunt,

Effutient, loquentur grandia, iactabunt sese omnes flagitiosi:

Populum tuũ Domine atterunt &

quos tibi hæreditario iure vendicasti, affligunt?

Viduas & advenas occidunt, & pupillos interimunt.

Interim dicunt, Dominus non videt, neque Deus Iacob intelligit.

Intelligite stupidi in populo, & stulti quando demum sapietis?

Is qui aurem condidit, quomodo non audiret? qui oculum finxit, quo pacto non videret?

Qui toties Gentes corripit, quique homines scientiam docet, vos non argueret?

Novit Dominus cogitationes hominum vanas esse.

Fœlix vir quem tu ô Domine castigaveris, & quem in lege tua instituxis,

Ut tranquillitatem illi pares à tempore adverso, dum interim impio foditur fovea.

Non enim abiiciet Dominus populum suum: & quos sibi in hæreditatem assumpsit, non deseret:

Donec ad iustitiæ normam rectum iudicium, hanc sectabuntur om-

nes

nes qui recto sunt corde.

Quis consurgat pro me contra impios? aut quis consistat mecum contra sceleratos?

Nisi Dominus auxilio mihi fuisset, breviùs apud inferos habitasset anima mea.

Quùm dicerem, Nunc lapsus est pes meus: bonitas tua ô Domine me sustentabat.

Pro æstu multarum cogitationum intra me, recreârunt animam meam consolationes tuæ.

Num tibi quidquam commune est cum solio tyrannico, quod afflictionẽ fingit prætextu legis?

Concursant adversùs animam iusti, & sanguinem innoxium impietatis damnant.

At Dominus pro arce est mihi, & Deus meus, petra in qua fido.

Et rependet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum perdet ipsos, Dominus inquam Deus noster eos perdet.

Psal. 95.

ADeste, ouemus Domino, petræ salutis nostræ iubilemus.

Laude faciem eius anteuertamus, odis ei iubilemus.

Nam Dominus Deus magnus est, & rex magnus præ omnibus diis.

In cuius manu sunt abstrusissima terræ, eius sunt montium cacumina.

Cuius est mare: nam fecit illud, & continentem manus eius finxerunt.

Agite ergo prosternamur, incurui procumbamus, genua submittamus, ante conspectum Domini factoris nostri.

Nam ipse est Deus noster, nos uerò populus pascuorum eius, & grex manus eius, si hodiè vocem eius auscultaueritis,

Ne indurctis cor uestrum, ut in Meríba, ut in die Masa in deserto:

Quibus patres uestri me tentârunt explorâ unt me, ac etiam uiderunt opera mea.

Annos quatraginta cum tædio pertuli gentē illam, ita ut dicerē Populus

pulus iste corde errat ipsique uias meas ignorant.

Quibus iuraui iratus, Nunquam ingredientur in requiem meam.

Psal. 96.

CAnite Domino cãticum nouum, canite Domino quicunque habitatis terram:

Cantate Domino, laudate nomen eius, euangelizate singulis diebus salutem eius.

Gloriam eius inter Gentes ipsas narrate, stupenda eius facta in omnibus populis.

Nam magnus est Dominus, & plurima laude dignus, tremendus ipse præ omnibus diis.

Siquidem cuncti dii populorum nihili sunt: at Dominus cœlos condidit.

Coram ipso decus est & honor, potentia & magnificentia in sanctuario suo.

Propter eã tribuite Domino familiæ populorum, tribuite Domino gloriam ac potentiam.

Tribuite

Tribuite Domino gloriam nomini eius dignam, ferte munus, & venite in atria eius.

Prosternite vos Domino in magnifico & splendido sacrario eius, metuite ab ipso quotquot in terra habitatis.

Dicite in Gentibus, Dominus regnat, & orbis firmabitur ne nutet, iudicet populis cum æquitate.

Lætétur cœli, exultet terra, reboet mare, & quidquid est in eo:

Exultet ager & quidquid in eo cõtinetur: tum quoque cunctæ arbores saltus ovent.

Coram Domino: quoniam venit: nam venit ut terram iudicet, iudicet orbem in iustitia, & populos ex fide.

Psal. 97.

DOminus regnat, exultet terra, & insularum multitudo lætetur.

Nubes & caligo circum eum sunt iusticia & æquitas sunt firmamentũ throni ipsius.

Ignis ãte eũ præcedet, ut circumquã

quæque hostes eius inflammet.

Fulgura eius orbem illustrârunt: vidit & dolore consternata est terra.

Montes à conspectu Domini tanquã cera colliquescebant, à facie inquam Dominatoris universæ terræ.

Annuntiârunt cœli iustitiã eius. & cuncti populi gratiam eius viderunt.

Pudefiant propterea quotquot idola colunt, & in diis nihili gloriantur, procumbite coram eo dii universi.

Audivit, & gavisa est Sion, exultaveruntque filiæ Iuda propter iudicia tua ô Domine.

Nam tu Domine excelsior es omnibus quę in terra sunt, plurimùm super omnes deos exaltatus.

Propterea qui amatis Dominum, odio habete malitiam: nam ille animas suorum qui bonitati student, custodit, éque manu impiorũ eos eripit.

Lux sata est iustis, & iis qui integro sunt corde lætitia.

Lætamini iusti in Domino, & gratulamini in commemoratione sanctitatis eius.

Psal. 98.

Canticum.

CAnite Domino canticum novũ nam admiranda facinora patravit, salutem sibi paravit sola dextera sua, & brachio suo sancto.

Notam fecit Dominus salutem suam, in Gentium oculis iustitiam suã revelavit.

Memor fuit bonitatis suæ & fidei erga domum Israelis: viderũt omnes fines terræ Salutem Dei nostri.

Iubilate Domino omnis terra, erũpite in uocem: ovate & psallite:

Psallite Domino cithara, citharæ vocem psalmi iungite:

Psallite inquam tubis & sonitu buccinę, iubilate coram rege Domino.

Reboet mare & quidquid in eo continetur: orbis & qui eũ inhabitant,

Flumina manu plaudant, simulq; montes ovent,

Coram Domino, quia venit ad iudicandum terram, iudicabit orbem ex iustitia, & populos ex ęquitate.

Psal. 99.

DOmino regnante, cum tumultu populi concurrunt: insidet cherubim, terra movet.

Dominus in Sion magnus est, & super omnes populos sublimis.

Celebrent nomen tuum magnum enim & tremendum, quia sacro-sanctum est.

Robur regis æquitatem diligit: tu æquitates præparasti, tu quod iustum & æquum est facis in Iacob.

Exaltate Dominum Deum nostrũ & prosternite vos ad scabellum pedũ ipsius: sanctus enim est.

Moses & Aharon inter sacerdotes eius, & Samuel inter eos qui invocãt nomen eius: clamabant ad Dominũ, & exaudiebat eos.

E columna nubis alloquebatur eos, quia contestationem & ceremonias quas dederat eis, observabant.

Domine Deus noster tu exaudiebas eos, tu eras eis Deus indulgens, ultus quoque eorum vindicans.

Exultate Dominum Deum nostrũ

&

& prosternite vos ad montem sanctitatis eius: est enim sacro. sanctus Dominus Deus noster.

Psal. 100.

Psalmus ad laudem.

IVbilate Domino omnis terra: Colite Dominum in lætitia, venite in conspectum eius ouantes.

Agnoscite quòd Dominus est Deus; ipse nos fecit, & non ipsi, nos: fumus populus eius, & grex pascuorũ eius.

Ingredimini portas eius gratias acturi: & atria eius, cantaturi laudes; celebrate illum, & nomen eius laudate:

Quoniam bonus est Dominus benitasque eius infinita est fidesq; eius in omnes ætates.

Psal. 101.

Psalmus Dauidis.

BOnitatem & iudicium cana, tibi Domine psallam.

Prudenter me geram in via integra donec ad me venias domine meę in mediis integritate versabor.

Scelus

Scelus nepharium ante oculos meos quod designem, non proponã: defectores odio prosequar, nec vnquam mihi adhærescent.

Conperversa faceßat à me, malitiosum non agnoscam.

Qui clàm obtrectat proximo suo, eum funditùs perdam: qui elatis est supercilijs, animoque arroganti, hũc non feram.

Oculi mei intenti erunt ad eos qui in terra veritati studeant, ut mecum versentur: qui in via innocentiæ ambulat, mihi ministrabit.

Non habitabit domi mei qui dolum facit: qui mendacia loquitur, nihil firmi apud me habebit.

Maturè perdam omnes impios terræ, ut è civitate omnes facinorosi excindantur.

Psal. 102.

Precatio humili congruens, quàm anxius est, ac suam querimoniam effundens coram Domino.

DOmine exaudi precationẽ meã: & clamor meus ad te perveniat.

Ne

Ne mihi abscondas faciem tuam, sed præbeas aurem tuam quùm angustia me premit, & citò mihi annue quùm te invoco:

Dies enim mei absumpti sunt ut fumus, & ossa mea ut focus exusta sunt.

Effectum est ut cor meum percussum exaresceat sicut fœnum, usque adeò ut sim oblitus cibum capere.

Ossa etiam mea & caro mea cohæserunt præ gemitibus meis.

Similisque factus sum onocrotalo gaudente solitudine, ac buboni agenti in locis desertis.

Vigilo equidem, & similis sum passeri seorsum agenti in tecto:

Quotidiè nãque inimici mei probris me incessunt, & gloriãtes de me, per me iurant.

Nam cinerem ut panem comedi, & potum meum fletu miscui,

Ob indignationem tuam & iracundiam tuam, quia me altè sublatum afflixisti.

Mei dies inclinaverunt tanquam umbra, & ego ut fœnum exaruí.

Tu autem Domine in æternũ per-

manes

manes, & memoria tua sempiternis temporibus.

Tu itaque exurgens miserearis ipsius Sion: quia tempus illi benefaciendi, quia præfinitum tempus advenit.

Nam servi tui afficiuntur favore in lapides eius, & pulverē eius evehere cupiunt.

Timeántque Gentes nomen Domini: & omnes reges terræ maiestatem tuam.

Quia dominus ædificavit Sion, & visus est in sua maiestate.

Ac rationem habuit precationis humilium, neque precationem eorū sprevit.

Quod quidem literarum monimēntis transmitteretur ad posteros, & populus qui creabitur, laudabit deum.

Siquidem prospicit ē sublimi sāctuario suo, & terram intuetur dominus ē cœlo.

Vt audiat gemitum vincti, & vinculis retipiat morti addictos.

Vt celebrent homines nomen nomō aiin Sion. & laudem eius in Ierusalē,

Quan-

Quando simul congregabuntur populi & regna, ut colant Dominum.

Afflixit autem in via meas vires, & que præscidit dies meos.

Dicam ergo mi Deus ne tollas me in media ætate mea: nam tui anni sempiternis temporibus constant.

Nam primùm terræ fundamenta iecisti, & cœli sunt opus manuum tuarum,

Quę interibunt: tu autem permanes & universa ut vestis veterascent, & ut immutante illa immutantur.

Verùm tu idem es perpetuò, & anni tui non finiuntur.

Permaneant & filii seruorum tuorum eorúmque semen ante te firmetur.

Psal. 103.

Davidis.

PRædica Dominum anima mea, & omnia viscera mea nomen eius sanctissimum.

Prædica Dominum anima mea, & ne obliviscere omnia quæ in te contulit:

Qui

Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui sanat omnes morbos tuos.

Qui vindicat ab interitu vitam tuam, & undiq; te cumulat benignitate & misericordia,

Et os tuum suavitate implet, ut renuperes iuventam tuam sicut aquilæ.

Dominus iudicium & iustitiam reddit omnibus oppressis.

Et monstravit Mosi vias suas, suaq; studia filiis Israel.

Misericors est & beneficus Dominus patiens etiam, & magnæ benignitatis:

Qui non perpetuò solet litigare, neque æternum retinet memoriam acceptæ iniuriæ:

Non tractat nos pro peccatis nostris, neque rependit nobis quod iniquitates nostræ merentur.

Nam quanto intervallo cœlum altius est terra, tantum prævalet benignitas eius erga timentes ipsum.

Et quàm longe distat Ortus solis ab Occasu, tam longè removit à nobis scelera nostra.

Vtque pater miseretur liberorum, ita

ita Dominus miseretur timentiũ eũ.

Ipse enim nouit conditionem nostram, recordans quòd simus pulvis.

Hominis ætas fœno similis est, florétque ut flos in agro;

Qui nullus erit, quùm eum ventus pervaserit, neque homines loci eius agnoscent eum.

Domini autem benignitas erga timentes eum durat ab æterno in sempiternum tempus, & eius iustitia usq; ad filios filiorum,

Qui seruant fœdus eius, & memores sunt constitutionum illius, ut eas perficiant.

Dominus in cœlo parauit solium suum, eiusque regnum dominatur omnibus.

Prædicate Dominum angeli eius, qui pollentes virtute exequimini eius negotia obediendo voci verborũ eius.

Prædicate Dominum omnes illius exercitus: qui quùm administri eius sitis, perficitis ipsius voluntatem.

Prædicate Dominum omnia ipsius opera in omnibus locis sui dominationis mea prędica Dominum.

Psal. 104.

ANima mea prædica Dominum, Domine Deus meus rebus gestis maximus es, & gloriam atque decus induisti.

Luce namque amictus est tanquam vestimento, & cœlos ut cortinam extendit.

Qui cœnacula sua contignavit in aquis, posuítque nubes suum vehiculum, & volat pennis venti.

Qui legatos efficit spiritus, & ministros suos ignem flammantem.

Terrámque fundavit suis basibus, ut sempiternis temporibus non moveatur.

Abyssum quoq; occultavit quasi vestimento, ut supra montes stent aquæ.

Quæ fugiunt ab increpatione tua, & à sono tonitrui tui præcipites feruntur.

Ascendúntque montes, & in valles descendunt, ad eum locum quem eis fundasti.

Terminúmque præstituisti illis aquis, quem transgredi nequeunt, ne

ita Dominus misereatur timentibus eum.

Ipse enim nouit conditionem nostram, recordans quòd simus pulvis.

Hominis ætas sæno similis est, & réique ut flos in agro,

Qui nullus erit, quùm eum ventus pervaserit, neque homines loci eius agnoscent eum.

Domini autem benignitas erga timentes eum durat ab æterno in sempiternum tempus, & eius iustitia ad filios filiorum,

Qui seruant fœdus eius, & memores sunt constitutionum illius, ut eas perficiant.

Dominus in cœlo parauit sedem suum, eiusque regnum dominatur omnibus.

Prædicate Dominum angeli eius, qui pollentes virtute exequimini eius negotia obediendo voci verborum eius.

Prædicate Dominum omnes virtutes exercitus eius: qui quùm administratis, perficitis ipsius voluntatem.

Prædicate Dominum omnia ipsius opera in omnibus locis suæ dominationis: tu anima mea prædica Dominum.

Psal. 104.

ANima mea prædica Dominum, Domine Deus meus rebus gestis maximus es, & gloriam atque decus induisti.

Luce namque amictus est tanquam vestimento, & cœlos ut cortinam extendit.

Qui cœnacula sua contignavit in aquis, posuítque nubes suum vehiculum, & volat pennis venti.

Qui legatos efficit spiritus, & ministros suos ignem flammantem.

Terrámque fundavit suis basibus, ut sempiternis temporibus non moveatur.

Abyssum quoq; occultavit quasi vestimento, ut supra montes stent aquæ.

Quæ fugiunt ab increpatione tua, & à sono tonitrui tui præcipites feruntur.

Ascendúntque montes, & in valles descendunt, ad eum locum quem eis fundasti.

Terminúmque præstituisti illis aquis, quem transgredi nequeunt, ne

iterum terram operiant.

Et emittis fontes qui fiunt torrentes, ut inter montes decurrant:

Vt potent feras omnes, & onagri levent sitim suam:

Et iuxta eos fontes degant aues cœli, quæ inter ramos arborum vocē edunt.

Qui rigat montes è suis cœnaculis, & de fructu operum eius satura sit terra:

Et producit fœnum pecori, & herbam ad usum hominis, ut proferat panem de terra,

Et vinum quod exhilaret cor hominis, & oleum quod nitidam reddat faciem, & panem qui cordi virēs sum ministret.

Arboréſque Domini succo abundant, & cedri in Libano quas plantavit,

Vbi aves nidificant, & ciconię, quarum domus est in abietibus.

Celsos montes ibicibus, & petra dedit confugium alpinis muribus.

Lunam fecit ut tēpora distinguat, & sol novit suum occasum.

Quām

Quùm tenebras inducis, fit nox, in qua omnes feræ ſylveſtres prodeunt:

Quemadmodum leonis catuli rugiunt ad prædam, & ut quærant cibũ ſuum à Deo ſibi paratum,

Vbi ſol ortus eſt, ſeſe recipiunt, & in cubilia ſua cubitum eunt.

Homo autem aggreditur opus ſuũ, & negotio ſuo inſtat uſque ad veſperam.

Quanta ſunt opera tua Domine, quæ univerſa feciſti per ſapientiam! eſtque terra plena tuis poſſeſſionibus.

Ipſum mare vaſtum & latiſſimum eſt, ubi reptilia innumera ſunt, animalia tum parva, tum magna.

Illâc eunt naves, & iſta balena, quã formaſti ut in eo ludat.

Vniverſa autem ex te pendent, ut eis cibum ſuum des ſuo tempore:

Téque dante colligunt: & te manum aperiente, ſatiantur bonis.

Si autem abſcondas faciem tuam, turbantur: ſique ſpiritum eis eripias, expirant, & revertũtur in ſuũ pulverẽ.

Rursùm animalia creantur, si tuum spiritum mittas, & renoves terræ faciem.

Sit Domini maiestas æterna, & gaudeat Dominus operibus suis.

Quo prospiciente in terram, illa tremit: quo tangente montes, illi fumant.

Canam igitur Domino quoad vivam, & psallam Deo meo quandiu superstes ero:

Erítque sermo meus de illo dulcis, & ego de Domino gaudebo.

Conficientur autem peccatores de terra, neq; ampliùs impii supererunt. prædica igitur Dominum anima mea: hallelu-ia.

Psal. 105.

COnfitemini Domino, invocate nomen eius, & studia illius eiocete inter populos.

Ipsum canite, & ipsi psallite, deque illius miraculis sermones habete.

Gloriamini in eius sanctissimo nomine: sitque lætum cor quærentium Dominum.

Inqui-

Inquirite Dominum & eius potentiam, sempérque faciem eius quærite.

Cogitate res mirandas quas gessit, & illius portenta, & iudicia oris eius,

O semen Abrahami cultoris ipsius, ô filii Iacobi, homines ipsius electissimi.

Ipse est Dominus Deus noster, cuius iudicia extant in tota terra.

Perpetuò enim meminit sui fœderis & verbi quod mandavit, in mille ætates,

Quod sanxit fœdere icto cum Abrahamo, & iuramento quo se Isaac obstrinxit:

Namque rem confirmavit, ut esset Iacobo decretum, & Israeli in fœdus sempiternum:

Dicens, Tibi tradam Chananæorum terram, ut sit tibi hæreditaria sors.

Itaque quùm essent numero pauci, & exigua familia, & peregrini ea in terra,

Et migrarent de vna gente ad aliam geniem, & de regno quopiam ad alium populum:

Non permisit homini cuiquam ut eos opprimerer, ac propter eos reges coarguit.

Cùm diceret, Ne attingatis homines mihi consecratos, & nihil mali prophetis meis inferatis.

Et evocavit famem, ut ea laboraret terra, & omnem annonam compressit.

Eisque præmisit virum, Ioseph venditus est in servitutem:

Cuius pedes constrinxerunt compede, & in ferro periclitata est anima eius:

Donec venit verbum eius, & eloquium Domini conflando exploravit eum.

Tunc enim nuntio misso rex eripuit eum, & dominator populorum solvit eum:

Eumq; dominum constituit domus suæ, & qui dominaretur in universa ipsius possessione:

Vt vinciret principes eius pro suo arbitratu, & seniores ipsius sapientiã doceret.

Itaque Israel ingressus est AEgyptum,

tum, & Iacob peregrinus egit in terra Cham.

Et valdè quidem Deus auxit populum suum, & potentiorem fecit eum suis hostibus.

Vertitque cor eorum in odium sui populi, ut dolum commolirentur in seruos ipsius.

Misit autem Mosen seruum suum, & Aharonem quem elegerat.

Qui prodigiosa ipsius negotia gesserunt inter eos, & portenta in terra Cham:

Et immisit tenebras quibus omnia obscuravit, neque reluctati sunt verbo eius.

Aquas eorum vertit in sanguinem, & ita occidit pisces eorum.

Edidit quoq; terra eorũ ranas, in regum arcanissima loca penetrantes.

Eius etiam iussu venerunt omnis generis insecta, & pediculi per omnes fines eorum.

Et pro pluviis eorum dedit grandinem, & ignem flammantem in ipsorũ terra.

Percussitque vites eorum & ficus eorum, & confregit arbores per ipsorum fines.

Eius quoque iussu venerunt locustæ & innumeri bruchi,

Qui depasti sunt omnes herbas in ipsorum regione, depasti etiam sunt fructus telluris ipsorum.

Occidit deniq; omnia primogenita in regione ipsorum, primitias videlicet vniversæ virtutis eorum.

Et eduxit eos onustos argento & auro, nec quisquam fuit infirmus in tribubus eius Israelis.

Estq; AEgyptus lætata quùm exirent, quia formido eorũ invaserat eos.

Expandit quoque nubem pro velo, & ignem qui noctu luceret.

Populo petente adduxit Deus coturnices, & pane cœlesti saturavit eos.

Postremò aquæ profluxerunt aperto saxo, quæ decurrêrunt per loca arentia ut flumen.

Memor enim fuit sui verbi sanctissimi ad Abrahamum cultorem suum,

Et eduxit populum suũ eũ lętitia, & delectos suos homines cum iubilo,

Ac

Ac tradidit eis regiones Gentium, ut possiderent labore populorum cõquisita:

Nimirùm ut seruarent decreta eius, & leges ipsius tenerent, halle-luia.

Psal. 106.

Hallelu.ia:

COnfitemini Domino quoniam bonus est, quoniam sempiterna est ipsius benignitas.

Quis enuntiaret fortia facta Domini? aut quis promeret vniversam laudem ipsius?

O beatos qui seruant iudicium, & faciunt semper quod iustum est,

Memento mei Domine per favorẽ erga tuum populum, meíque rationẽ habeto per tuam salutem:

Vt videam bonum electis tuis hominibus paratum, & gaudeam gaudium gentium tuarum, & glorier cum hæreditario tuo populo.

Peccavimus ęquè ut patres nostri, egimus iniquè, impia gessimus.

Nam patres nostri non prudenter perpendêrũt miracula tua in AEgyp-

to, neque memores fuerunt maximorum beneficiorum tuorum, & immorigeri fuerunt ad mare, ad Mare inquam rubrum.

Servavit tamen eos propter nomen suum, vt notiorem faceret fortitudinem suam:

Increpuitque Mare-rubrum, ut exareſceret, ac traduxit eos per abyſſum tanquam per deſertum:

Et ſervavit eos eripiens manu hoſtili, ac vindicavit eos à manu inimici.

Aquæ autem operuerunt hoſtes eorum, ita ut ne unus quidem ſuperſtes relinqueretur.

Tuncque fidem adhibuerunt verbis eius, ut decantarent laudem ipſius.

Verùm confeſtim obliti ſunt operum eius, neque morati ſunt conſiliũ eius.

Et concupiſcentia exarſerunt in ipſo deſerto, ac tentaverunt Deum in ſolitudine.

Ac dedit quod poposcerunt, ſed immul immiſit macilẽtiã ipſorũ animis.

Inviderunt etiam Moſi in caſtris Aharoni ſacroſancto Domini.

Quam

Quamobrem terra se aperiens absorpsit Dathan, & operuit congregationem Abiramicam.

Ignis etiam exarsit in cœtu istorũ, & flamma, quæ impios corripuit.

Fecerunt & vitulum apud montem Horeb, & fusile simulachrum adorauerunt.

Et permutauerunt maiestatẽ Dei sui effigie bouis, comedentis herbam,

Suntque obliti Deum, qui eos seruauerat, quique res magnas gesserat in AEgypto,

Et miracula in terra Cham, resq; terrificas ad Mare-rubrum.

Decreuerat autem delere illos, nisi Moses vir ipsius electus interceſſisset ei, sedans iram ipsius ne perderet.

Respuerunt etiam terram exoptatam, non tribuentes fidem verbo ipsius.

Et obmurmurârunt in suis tentoriis neque obediuerunt voci diuinæ.

Quare iurauit eis se prostraturum esse ipsos in deserto.

Pro-

Proſtraturum etiam ſobolem eorum inter Gentes, & eventilaturum eos in regiones.

Initiati ſunt etiam velut ſub iugũ ipſius Baal-peor miſſi, & comederunt immolata mortuis diis,

Suíſque ſtudiis iram Dei conflárunt, ira ut graſſaretur per eos cædes:

Quando Phinehas ſtetit, ac vindicandum iudicavit, & cædes prohibita eſt.

Quod ei eſt imputatum pro iuſtitia ſempiternis temporibus.

Laceſſiverunt etiam apud Meriba, & Moſen DEUS affecit malo propter ipſos.

Ita enim divexárunt animum eius ut perperàm aliquid loqueretur ſuis labiis.

Præterea non deleverunt populos, quos Dominus iuſſerat eos delere:

Et commercium habuerunt cum Gentibus, ac didicerunt facta ipſorũ,

Vt colerent ſimulachra eorum, quæ fuerunt eis laqueus.

Nam filios ſuos & filias ſuas mac-

ctave-

ctaverunt victimas dæmonibus:

Et ita fuderunt sanguinem innoxium, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quos mactaverunt victimas simulachris Chanan eorum terráque pollura est capitalibus sceleribus.

Ac luerunt immundi factis suis, & scortati sunt studiis suis.

Et excanduit ira Dominus in populum suum, abhorruítque à sua hæreditate,

Ita ut traderet eos Gentibus in manus, & inimici eorũ dominarẽtur eis:

Quos afflixerunt hostes ipsorũ, & subegerunt eos suæ potestati.

Aliquoties liberavit eos, verùm ipsi lacessiverũt suo consilio, & in paupertatem devenerunt per suam iniquitatem.

Tamen quùm cerneret eos in angustiis, & audiret clamorem ipsorum.

Memor fuit sui fœderis icti cum eis, & pœnituit eum, ut maxima est eius benignitas:

Et fecit eos gratiosos apud victores suos universos.

Serva

Serva nos Domine Deus noster,& congrega nos ex Gentibus, ut confiteamur nomini tuo sanctissimo,& celebremus te laudibus tuis.

Prædicandus est Dominus Deus Israelis ab æterno in æternum tempus & universus populus dicat,Amen hallelu-ia.

Psal. 107.

COnfitemini Domino, quoniam bonus est,quoniam æterna est eius benignitas.

Laudibus celebrate Dominum,

In libertatem vindicati à Domino dicant, quòd eos vindicaverit à manu hostili,

Quódque congregaverit eos ex regionibus ab Oriente,& Occidente, Aquilone,& à Mari,

Dum errabant in deserto & in solitudine per itinera, quibus oppidum habitatum non inveniebant,

Famelici & sitibundi adeò ut deficerent animo:

Clamaverũt ad Dominũ in periculis suis, & eripuit eos ex angustiis ipsorum,

Eióque

Eósque deduxit in viam rectam, qua pervenirent ad oppidum habitaturum.

Confiteantur ergo tribuentes Domino suam benignitatem, & miracula sua inter homines.

Quia saturat animam avidam, & animam famelicam explet rebus bonis.

Sedentes in tenebris, & dēsissima caligine, constricti miseria & ferreo compede,

Quia sermonibus divinis reluctati sunt, & floccipenderunt consiliū summi Dei,

Vnde molestias imposuit, ita ut desponderent animum. & impingerent, nemine ferente opem:

Hi clamaverūt ad Dominū in suis periculis, qui eripuit eos è suis angustiis

Eósque duxit ex tenebris & densissima caligine, ac perrupit eorum vincula.

Confiteantur ergo Domino tribuentes suam benignitatem & miracula sua inter homines:

Quia effregit valvas æreas & re-

fellit

fellit obices ferreos.

Stulti qui scelerato vitæ instituto, & iniquitatibus suis morbos sibi accersiverunt:

Ita ut anima ipsorum fastidiat omnem cibum, & pertingant ad portas mortis:

Clamaverunt etiam ad Dominum in suis periculis, qui eripuit eos è suis angustiis:

Missóque verbo suo sanavit eos, & asseruit ab ægrotationibus ipsorum.

Confiteantur ergo Domino tribuentes benignitatem suam, & miracula sua inter homines,

Et immolent victimas confessionis, ac narrent facta eius cum iubilo.

Qui mare navibus ingrediuntur, quique negotium suum peragunt in vastissimis aquis

Illi viderunt opera Domini, & ipsius miracula in profundo mari.

Qui suo imperio ciet ventum procellosum, qui ventus altè fluctus ipsius attollit,

Ita ut modò in cœlum ascendant,

modò

modò in abyssum descendant usque-
adeò ut anima ipsorum malis pressa
colliquescat,

Et eant in orbem, ac oberrent, ut
ebrii, omnísque sapientia illis eripi-
atur.

Hi etiam clamaverunt ad Domi-
num in suis periculis, & eripuit eos è
suis angustiis:

Et sedata tempestate reddit mare
tranquillum, ita ut desinant fluctus
quibus iactabántur:

Et tunc lætantur quòd quieverint
fluctus, ac Deus in portum optatum
eos deduxerit.

Confiteantur ergo Domino tribue-
tes suam benignitatẽ, & miracula sua
inter homines,

Eúmque extollant in cœtu populi,
& laudent eum in consessu seniorum.

Qui flumina vertit in desertũ, & ve-
nas aquarum in loca siticulosa.

Et terram frugiferam in sterile so-
lum, propter incolarum vitiositatem.

Qui contrà vertit desertum in stag-
num aquarum, & torridam terram

in

in venas aquarum:

Ibíque collocat famelicos, ut vrbem celebrem extruant.

Ac sementem faciant in arvis, & colant vineas quæ copiosum fructum proferant:

Eósque fortunat, ita ut valdè crescãt, nec pecus eorum minuit.

Minuuntur etiam, & decidunt per angustiam, & malum, & laborem.

Nam Deus effundit contemptum in principes, & errare facit eos per vastitatem inuiam,

In arce autem collocat pauperem extra miseriam, & familias tractat velut oues.

Que quùm vident probi, gaudent nec habent vlli inquii quod vituperent, aut querantur.

Quisquis igitur sapit, custodiet hæc, & beneficia Domini considerabit.

Psal. 18.

Carmen, hymnus Davidis.

PAratum est cor meum ô Deus, ita vt canam, & psallam etiam

ô

ô gloria mea.

Expergiſcere nablum & cithara: euigilabo equidem in aurora,

Tibiq; confitebor inter Populos, & te pſallam inter Nationes:

Tua enim benignitas vſqueadeò magna eſt ut cœlos ſuperet, tuáque veritas vſque ad æthera pertingit

Sublimior cœlo ſis ô Deus, & maieſtas tua ſublimior ſit tota terra,

Vt liberentur tui delecti, ſeruato nos per dexteram tuam & annue mihi,

Deus locutus eſt in ſanctuario ſuo quòd exultabo, & partiar Sichem, ac metiar vallem Sucoth.

Meus erit Gilead meus erit Manaſſes, Ephraim autē robus capitis mei, & Iuda meus legumlator,

Moab vero lebes ablutionis meę, Idumęam pedibus meis emetiar, & ſuper Paleſthina iubilabo.

Quis ducet me ad urbes munitas? quis ducet me in Idumæam?

Annon tu Deus, qui nos olim repuleras, neq; profectus fueras cum noſtro exercitu?

Fer

Fer nobis opem qua defendamur ab hoste: siquidem vana est salus hominis.

Cæterùm Deo iuvante res præclaras geremus, & ipse conculcabit hostes nostros.

Psal. 109.

Præfecto cantorum, Davidis hymnus.

O Deus, qui laudaris à me, ne taceas.

Nam os impii, & os dolosum patet contra me, & mecum loquuntur falsa lingua.

Et verba ex odio profecta me circunvenerunt, méque oppugnant absque re.

Pro amore autem meo adversantur mihi, ego tamen intentus sum precationi:

Ac reddunt mihi malum pro bono, & odium pro dilectione mea.

Constitue contra eum impium, & adversarius stet ad dexteram eius.

Quùm adductus fuerit in iudicio, pronuntietur impius: & deprecando peccatum admittat.

Sint

Sint dies uitæ ipſius pauci, & ipſius functionem alius accipiat:

Sint ipſius liberi orphani, & uxor eius vidua.

Oberrẽt liberi eius & mẽdicent, ac victum quærant, è ruinoſis ſuis ædificiis prodeuntes.

Fœnerator nexu obliget omnia quę habet: nec non hoſtes diripiant, quod labore ipſius partum eſt.

Non obtingat ei qui benignitatẽ proroget, nec ſit qui benefaciat orphanis quos reliquit.

Poſteritas eius excidio ſit obnoxia, & in altero ſæculo deleatur nomen ipſius.

Revocetur in memoriam apud dominũ iniquitas patrũ eius, & peccatũ matris eius non aboleatur oblivione:

Ac ſemper obverſentur oculis domini, qui deleat eorum memoriam è terra.

Siquidẽ non cogitavit benignitatẽ exhibere, & perſecutus eſt virum humilem & pauperem, & dolentem animo, ut interficeret.

Ac amavit maledictionem, propterea

tereà obvênit ei: & noluit benedictionem, itaque longè recessit ab eo.

Induítque maledictionem ut vestimentum, & ingressa est in partes ipsius interiores ut aqua, & in ossa eius ut oleum:

Sit ei pro veste, quã induat: & pro cingulo, quo semper cingatur.

Atque hæc parata sunt à Domino meis adversariis, & eis qui loquúntur malum adversùs animam meam.

Tu autem Domine Deus meus præstò mihi adsis propter nomen tuum & libera me, siquidem benignitas tua optima est.

Ego enim humilis & pauper sum, & cor meum intra me saucium est,

Et abeo ut umbra quùm declinat, ac velut locusta excutior:

Genuáque mea nutant præ inedia, & detracta pinguedine alius iam habitus est corporis mei.

Et ego illis sum probro, qui me conspicati, iactant caput suum.

Opem fer Domine Deus meus, & servato me pro tua benignitate.

Et intelligant hanc tuam esse potentiam,

etiam quódque tu Dominus hæc scias.

Ipsi quidem maledicãt, modò tu benedicas: ipsi insurgãt, modò pudefiãt, & servus tuus lætetur.

Induant adversarii mei ignominiam, & amiciant se pudore tanquam pallio.

Ego autem valdè confitebor domino ore meo, & in magno cœtu laudabo eum:

Quoniam à dextra stetit pauperis, ut seruaret animã eius ab iis qui vitæ ac necis arbitrium in eum sibi arrogabant.

Psal. 110.

Davidis hymnus.

Dixit Dominus Domino meo, Sede mihi ad dexteram, donec inimicos tuos subdam scabellum tuis pedibus.

Dominus emittet virgam tuæ potentiæ è Sion: dominare ergo inter inimicos tuos.

Habes promptissimum populum, quùm educes tuas copias: tibi etiam

est

est ros generationis tuæ in summo decore & sanctitate ex vtero aurorae.

Iurauit Dominus, nec pœnitet eum quòd tu sis sacerdos ęternus ritu Melchi-sedec.

Dominus stat à dextera tua, qui contudit reges, quo die iratus fuit.

Iudicabit Messias in Gentibus, & & omnia implebit cadaveribus, quando contundet capita in multis regionibus.

De torrente in via bibet, ac propterea caput attollet.

Psal. III.

Hallelu-ia.

א COnfitebor Domino toto corde
ב in concilio & cœtu proborum.
ג Magna sunt Domini facta, ך quæ inquiruntur ab omnibus qui delectantur ipsis.
ה Opus ipsius est gloria & decus,
ו & iustitia eius æternum perstat.
ז Memoriæ cõsecravit sua miracula, ח beneficus & misericors Dominus.
ט Escam dedit ipsum timentibus,
י & æternum memor est sui fœderis.

כ Po

ג Potentiam operum suorum declaravit suo populo, ד dando eis hæreditatem Gentium:

ה Suntque opera manuum eius veritas & iudicium, & ו omnes constitutiones ipsius firmæ sunt,

ז Suntque stabilitæ, ut durent sempiternis temporibus, ח quippe per veritatem & rectitudinem factæ.

ט Misit etiã ad populum suum י per quos redimeret, ac præcepit fœdus suum perpetuò seruandum, כ cuius nomen sanctissimum terrificum est.

ל Principium sapientiæ est timor Domini, מ & salutaris prudentia contingit omnibus qui versantur in his rebus: נ quorũ laus æternum perstat.

Psal. 112.

Hallelu-ia:

א BEatus vir est qui timet Dominũ, ב & valdè præceptis eius delectatur:

ג Nam potens erit in terra semen eius, & ד proborum natio fortunabitur.

ה Copia rerũ & divitiæ erunt in do-

mo eius, ו & iustitia ipsius æternum perstabit.

ז Oritur in tenebris lux probis, homini ח benefico, & misericordi, & iusto.

ט Vir bonus confert beneficia, & dat mutuò, י suásque res obit exactissimo iudicio.

כ Quia non movebitur in ęternum, ל & memoria iusti usque durabit.

מ Ad famam tristem non expavescet, נ quia cor eius firmum est ac fretũ Domino:

ס Cor ipsius stabilitum est, ita ut nõ expavescat, ע donec spectet in hostibus suis quod cupierat.

פ Spargit ac dat pauperibus, צ cuius iustitia æternum perstat, ק cornúque eius altum est cum gloria:

ר Ita vt impius cernens indignetur, ש suísque dentibus frendeat & contabescat: ת miniméque impii assequentur quod desyderant.

Psal. 113.

Hallelu-ia.

Laudate cultores Domini, laudate nomen Domini.

Præ.

Prædicandum est enim nomen Domini ab hoc tempore usque in æternũ:
Ab Ortu solis usque ad Occasum eius, laudibus vehendum est nomen Domini.
Dominus enim sublimior est omnibus gentibus, & maiestas ipsius cœlo sublimior est.
Quis similis est Domino Deo nostro, qui in alto rebus præsidet,
Séque demittit vt inspiciat quęcũque sunt in cœlo & in terra?
Qui erigit tenuem ex pulvere, & pauperem è stercore evehit:
Vt collocet eum cum principibus, cum principibus sui populi,
Qui sterilem matrem familiàs efficit matrem gaudentem liberis. halleluia.

Psal. 114.

QVùm egrederetur Israel ex Aegypto, & domus Iacobi à populo diversæ linguæ:
Iuda factus est eius sanctuarium, & Israel ipsius imperium.
Quod quùm mare vidisset, refu-

git,& Iordanis retrorsùm repulsus est.

Montes autem subsilierunt ut arietes & colles vt agni ouium.

Quid accidit tibi ô mare, quòd refugisti? quid tibi ô Iordanis, quod repulsus es retrorsùm?

Quid uobis ô montes quòd exiliistis vt arites,& colles ut agni ouium?

Tuq; terra expauescito metu Domini, metu Dei Iacob,

Qui vertit saxum in stagnum aquosum,& silicem in fontem abundantem aquis.

Psal. 105.

Non nostram Domine non nostrã, sed tui nominis gloriam amplifices propter tuam benignitatem,& propter veritatem tuam.

Cur enim dicant Gentes Vbi quaeso est Deus ipsorum?

Atqui Deus noster in cœlo est, qui perficit quicquid voluerit.

Cæterùm simulachra ipsorum sunt argentea & aurea, opus quod manibus hominis producitur.

Habent enim os,& non loquuntur, habent oculos & non vident.

Habent

Habent aures, nec audiunt: habent nasum, nec odorantur.

Manus habent, nec palpant: pedes habent, nec ambulant, neque sonum edunt suo gutture.

Quibus similes evadant qui ea faciunt, & quicunque fidit eis.

O Israel fide Domino: quia vestrū auxilium, & vestrum scutum est.

Domus Aharonis fidite Domino: quia vestrum auxiliū, & vestrum scutum est.

Timentes Dominum fidite Domino: quia vestrum auxilium, & scutum vestrum est.

Dominus qui memor est nostri fœlicem reddet, fœlicem inquam reddet domum Israelis, fœlicem reddet domum Aharonis:

Fœlices reddet timentes Dominū pariter paruos & magnos.

Cumulabit etiam Dominus vobis beneficia beneficiis: nec solùm vobis, verùm & liberis vestris.

Vos quidem fœlices redditi estis à Domino, qui condidit cœlum & terram.

Et cœlum, cœlum inquam Domino servatum est: terram autem dedit hominibus.

Cæterùm mortui non laudant deum, nec omnes quotquot in sepulchrum descendunt:

Nos autem prædicemus Deum ab hoc tempore usque in æternum. Halleiu-ia.

Psal. 116.

Diligo Dominum, quandoquidem exaudivit supplicem meam vocem,

Quia præbuit mihi aurem suã, quo toto vitæ meæ tempore invocabo.

Cinxerant me funes mortis, & angustiæ inferni me comprehenderant, ac incideram in periculum & difficultatem:

Vocavi autem nomen Domini dicens, Obsecro domine, eripito animã meam. & eripuit me.

Beneficus est Dominus, & iustus, & deus noster misericors.

Dominus defendens simplices, quùm attritus essem, me servavit.

Tunc dixi Revertere anima mea ad

ad locum tuum quietum: quia Dominus in te beneficium contulit?

Quia tu eripuisti animam meam morti, oculos meos lachrymis, & pedes meos lapsui.

Quare sanctè vitam degam coram Domino in regionibus viventium.

Fidem in Deum retinui, etiã quùm ipse cogerer dicere, me vehementer deiectum esse:

Quùm dicerem in præcipiti mea fuga, omnes homines mendaces esse:

Quam gratiam referam Domino pro illis omnibus quæ in me contulit beneficiis?

Sumpto calice quo gratiæ aguntur pro accepta salute, nomen Domini vocabo,

Meáque vota exoluã Domino nunc coram universo populo ipsius.

Nam apud Dominum mores benignorum ipsius hominum maximi est momenti.

Ah Domine, equidem seruus tuus sum, ego seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ, qui uincula mea soluisti.

Tibi ergo mactabo victimam con-

fessionis,& nomen Domini vocabo.

Meáque vota exoluam nunc, corã vniverso populo ipsius.

In atriis domus Dominicæ,intrate ô Ierusalem.

Psal. 117.

Hallelu ia.

LAudate Dominũ omnes Gentes, prædicate ipsum omnes populi.

Nam bonitas eius erga nos præpollet,ac veritas Domini æternum permanet:hallelu ia.

Psal. 118.

COnfitemini Domino, quoniam bonus est, quoniam benignitas ipsius sempiterna est.

Israel nunc dicat,quòd sempiterna sit ipsius benignitas.

Dicat nunc domus Aharonis,quòd sempiterna sit ipsius benignitas.

Dicant nunc timentes Dominũ, quòd sempiterna sit ipsius benignitas.

Quùm in angustiis essẽ,vocavi Deũ, & Deus annuit mihi in latitudine.

Proin Domino à me stante,nõ timebo quid mihi homo inferre conetur.

Domino enim existente inter meos auxi-

auxiliares, ſpectabo in meis inimicis quod deſidero.

Etenim ſpem habere in Domino, meliùs eſt quàm fidere homini:

Spem inquam habere in Domino, meliùs eſt quàm fidere principibus.

Si me omnes Gentes circumdederint, ſpero quòd per nomen Domini exciſurus ſim eas.

Si me circundederint, (& ſanè me circundederunt,) ſpero quòd per nomen Domini ſim eas exciſurus.

Si me circundederint ut examen apum, deficient vt ignis ſpinas corripiens: & ſpero quòd eas per nomen Domini exciſurus ſim.

Proſùs me impuleras ut caderem: ſed tamen Dominus opem mihi tulit.

Nam robur meum & carmen meũ, & ſalus mea Deus eſt.

Vox iubili & ſalutis partæ auditur in tabernaculis iuſtorum, propterea quòd dextera Domini res præclaras egit.

Dextera Domini ſuperior fuit, dextera Domini res præclaras egit.

Non moriar, ſed vivam, & recen-

sebo facta Dei:

Me namque probè castigauit Dominus attamen nō permisit ut morerer.

Aperite mihi portas iustitiæ, per quas ingressus, Deo confitebor.

Hæc porta Domini est, per quam iusti ingredientur:

Tibi enim confitebor, quòd me exaudiueris, & mihi saluti fueris.

Nam lapis quem reiecerunt ædificantes, factus est caput anguli.

Quod quidem à Domino factum est, & nobis miraculum uidetur.

Ista est dies quam fecit Dominus: in qua exultemus & lætemur.

Ah Domine serua quæso: ah Domine da quęso fœlicem successum.

Optima quęq; illi precamur qui venit in in nomine Domini noſq; fausta precamur vobis è domo Domini.

Deus Dominus est, qui lucem nobis prosperitatis intulit: itaq; victimã alligate funibus ad cornua altaris.

Tu es Deus meus, tibíque confitebor, tęque extollam mi Deus.

Confitemini Domino, quoniam bonus est, quoniã benignitas ipsius sempiterna est.

Aleph

Psal. 119.

Aleph. א

O Beatos qui vitæ integrum iter tenent, incedentes ad præscriptum legis Domini.

O beatos qui conservant obtestationes ipsius cúmque ex toto corde quærunt.

Nam qui per tuas vias incedunt, non patrant iniquitatem.

Tu namque mandasti constitutiones tuas quas homines summoperè custodiant.

Vtinam sic viæ meæ parentur, ut custodiam decreta tua.

Tunc enim minimè pudefiam, quùm inspexero omnia præcepta tua:

Tibiq; confitebor ex animo syncero, ubi didicero iudicia tuæ iustitiæ:

Summóque studio decreta tua servabo, si me non deseras.

Beth ב

Quo pacto adolescens vitam inculpatam aget? nempè, si eam custodiat, ut dictat verbum tuum.

Quùm autem te quæram ex toto corde meo, ne sinas me aberrare à

mandatis tuis,

Qui reposui eloquium tuum in corde meo, ne peccem in te.

Tu Domine prædicandus es, doce me decreta tua.

Nam labiis meis recensere solitus sum omnia iudicia oris tui.

Et incedere per viã obtestationum tuarũ magis me iuvat, quàm omnium rerum copia propemodum.

Ac de tuis constitutionibus differo, & intueor semitas tuas,

Méque oblecto in tuis decretis, nunquam commissurus ut oblivisear verbi tui,

Gimel ג

Hoc beneficium servo tuo cõfer, ut vivam, & custodiam verbum tuum.

Et velamen detrahe oculis meis, ut inspiciam admirabilẽ sapientiã quæ recondita est in lege tua.

Quúmque peregrinus sim in terra, ne me celes tua mandata:

Nam anima mea omni tẽpore desiderio iudiciorũ tuorum atteritur.

Increpas autẽ superbos, ut execrabiles sint, aberrãtes à præceptis tuis.

Remove

Remove à me probrum & contẽptum, quòd obtestationes tuas conservo.

Nam & principes considēt, ac obtrectant mihi, quòd servus tuus, disserit de tuis decretis.

Quódque obtestationes tuę sunt męę deliciæ, & consiliarii mei.

Daleth ד

Quùm humi iaceat anima mea recrea me secundum verbum tuum.

Negotia mea tibi exposui, túque exaudisti me: quare doceto me decreta tua.

Concede mihi ut nôrim viam constitutionum tuarũ, & tunc disseram de tuis miraculis.

Diffluit anima mea præ solicitudine, refice me ergo secundum verbum tuum.

Averte iter mendax à me, & legem tuam benignè mihi proponito.

Nam viam certam elegi: & iudicia tua ob oculos habeo.

Quúmque obtestationibus tuis adhæream, Domine haudquaquam me pudefacias.

viam

Viam præceptorum tuorum cum
postquàm in latitudinem eduxisti cor
meum.

He

Deduc me Domine in viam tua-
rum decretorum, ut eam retineam
usque in finem.

Doceto me ut retineam legẽ tuã,
& toto corde illam custodiam.

Deduc me in semitam præcepto-
rum tuorum: nam ea mihi placet.

Inclina cor meum ad obtestationes
tuas, & non ad avaritiam.

Averte oculos meos, ne videant va-
nitatem, & vivifica me in via tua.

Præsta servo tuo quod eloquium
tuum pollicetur habentibus timorem
tui.

Et prohibe à me probrũ quod for-
midolnam iudicia tua bona sunt.

Ecce desidero tuas cõstitutiones: vi-
vifica igitur me per tuam iustitiam.

Vau

Et obveniant mihi Domine tua be-
neficia, & salus tua secundum eloqui-
um tuum:

Vt habeam verba quibus respon-
deam

deam exprobranti mihi quòd fidam verbo tuo.

Et ne omninò eripias ab ore meo verbum ueritatis: siquidem tua iudicia expecto.

Et semper, temporibúsque sempiternis custodiam legem tuam.

Equidem spatiabor in latitudine quia constitutiones tuas quæsiui:

Ac loquar de tuis obtestationibus corã regibus, neq; me pudebit earũ

Méque oblectabo in tuis mandatis quæ amo:

Et admovebo manus meas præceptis tuis, quæ amo, déque decretis tuis differam.

Zaiu ז

Memor sis verbi ad seruum tuum prolati quo me in spem adduxisti.

Hoc enim meum solatium est in meis miseriis: quia eloquium tuũ recreat me.

Quúmque me superbi irrident supra modũ, non tamen deflecto à lege tua:

Ac recolens iudicia tua à condito mundo Domine, ex iis magnum solatium accipio.

Horror

Horror invadit me cogitantem de impiis, qui legem tuam deserunt:

Mihi verò decreta tua sunt carmina in domo quam incolo.

Et noctu Domine recordor tui nominis, tuámque legem custodio,

Quæ quidē mea est, quandoquidē conservo tuas constitutiones.

Heth n

Dixi Domine meam sortem esse, ut custodiam verba tua.

Suspicio faciem tuam supplex toto meo corde, proin beneficū te mihi exhibeas secundum verbum tuum.

Cogitatione obivi meas vias, & reduxi pedes meos ad obtestationes tuas.

Festinavi, & nullā morā feci, ut custodirem præcepta tua.

Funes impiorum conati sunt me abstrahere, cæterùm legis tuæ non sum oblitus:

Media nocte surgo ad confitendū tibi propter iudicia tuæ iustitiæ.

Súmque omnibus socius qui te reuerentur, & custodiunt constitutiones tuas.

Be-

Benignitate tua Domine plena est terra, quare doceto me decreta tua.

Teth ט

Benignè cum servo tuo egisti Domine secundum verbum tuum.

Benè iudicandi facultatem & scientiam doce me, qui præceptis tuis fidem adhibeo.

Antequam in çrumnas incidissem, errabam: nunc autem eloquium tuũ custodio.

Tu bonus es, benefacis, doce igitur me decreta tua.

Superbi consuerunt adversùm me mendacia, ego autem toto corde retineo constitutiones tuas:

Quorũ cor crassescit, ut adeps, ego autẽ ex lege tua voluptatem capio.

Vtilissimum quoque mihi fuit quod in miseriam deiectus sum, ut discerẽ decreta tua:

Tuiq; oris lex melior mihi est, quàm auri & argenti millenarii.

Iod י

Manus tuæ fecerunt me, & adornaverunt me: erudias me ergo ut discam præcepta tua:

Vt

Vt cernentes me qui te reverentur, gaudeant, quia in verbo tuo spẽ habeo.

Scio Domine quòd iudicia tua sint iustitia & fides, quùm me detrusisti in miseriam:

Verùm obtingat quæso mihi tua benignitas, quę me consoletur secundum eloquium tuum, quod spem apervit servo tuo.

Obveniat mihi tua misericordia ut vivam, siquidem lex tua meæ deliciæ sunt.

Pudefiant autem superbi, qui mendacio me opprimere quærunt, quùm ego interim de constitutionibus tuis differam.

Redeant ad me qui te timent, qui & norunt obtestationes tuas.

Sitque cor meum integrũ in tuis decretis, propterea ne non pudefiam.

Caph

Defecit anima mea desiderans anxiè salutem tuam, quia in verbo tuo spem habeo.

Defecerunt oculi mei spectando quando veniat quod pollicetur eloquium,

quium, tuum, ita ut dicam, Quando me consolaberis?

Similis enim evasi utri in fumo pendenti: attamen decreta tua non sum oblitus.

Quamdiu servus tuus expectabit? quando exiges pœnas à persequentibus me?

Superbi foderunt mihi foveas, quod non sit secundum legem tuam.

Omnia præcepta sunt fides, quùm igitur iniquè me persequantur, fer mihi opem.

Parùm abfuit quin me confecerint in terra: ego tamen non deservi tuas constitutiones.

Vivifica me pro tua benignitate, & custodiam obtestationem oris tui.

Lamed ל

Verbum tuum domine perstat æternum in cœlo.

Tuáque fides per universa sæcula, qui paráfti terram, ut consistat,

Eáque persistunt usque in hodiernũ diem tuis iudiciis: omnia enim tibi serviunt.

Nisi

Nisi lex tua meæ deliciæ essent perissem in miseria tua.
Non obliviscar æternũ cõstitutiones tuas, quoniam illis recreâsti me,
Quùm verò tuus sim, serva me quia constitutiones tuas exquisiui.
Me obseruant impii ut me perdãt quùm obtestationes tuas perpendo.
Video finem habere omnia etiam perfectissima: tuum autem præceptum latissimè patet.

Mem ם

Quantum ego tuam legem amo? de qua meus sermo est quotidè.
Tu me sapientiore mi reddidisti meis inimicis per tuum præceptum nã id perpetuò meum est.
Plùs etiam sapio quàm ii qui me docent: quia de obtestationibus tuis mihi sermo est.
Et rectiùs perpendo omnia quàm senes quia conseruo tuas constitutiones.
Pedes meos prohibeo ab omni uia ducenti ad vitia, propterea quòd verbum tuum custodio:
Neq; à iudiciis tuis decedo: quia tu

tu vivendi normã præscripsisti mihi.
Quàm dulce est palato meo eloquiũ tuũ! certè ori meo dulcius melle est.
Ex tuis constitutionibus rectè res perpendo, & propterea odi omnem semitam fallacem.

Num 3

Verbum tuum lucerna est pedibus meis, & lux ad iter meum.
Iurauí idque constanter præstabo ut custodiam iudicia tuæ iustitiæ.
Supra modum deiectus sum: quamobrem recrea me Domine secundũ verbum tuum.
Gratæ igitur sint tibi Domine oblationes, quas sponte nunc upauit os meum, & iudicia tua doce me.
In discrimine vitæ semper versor: non tamen obliuiscor legis tuæ.
Impii tetenderunt mihi laqueum: non tamen à constitutionibus tuis aberro.
Æterna hæreditate mihi venerunt obtestationes tuæ: sunt enim gaudiũ cordis mei.
Adieci animum meum decretis tuis, ut exequar illa in finem usque, & adeò æternum. Sa-

Semech ס

Odi cogitationes quibus distrahitur animus: amo autem legem tuam.

Tu meũ cõfugiũ & scutum meũ es, & in verbo tuo spem collocavi.

Recedite à me pravi homines: ego enim conservabo mandata Dei mei.

Suffulci me eloquio tuo, & vivam: & ne me pudefacias frustratum expectatione mea.

Stabilito me, & servabor, ac semper ex contẽplatione decretorũ tuorum voluptatem capiam.

Conculcabis omnes quicunques deberrant à decretis tuis: nam fallacia est ipsorum vafrities.

Tollis ut scoriam omnes impios in terra: quamobrem amo tuas obtestationes.

Perhorrescit corpus meũ prę timore tui & iudicia tua revereor.

Ain ע

Feci iudiciũ & iustitiã: ne igitur me tradas oppressoribus meis.

Oblecta servũ tuũ rebus bonis, & ne sinas ut me opprimant superbi.

Oculi mei defecerunt anxiè spectãdo

do ad salutem tuam & eloquium tuę iustitiæ.

Age cum servo tuo pro tua benignitate, & decreta tua doce me.

Servus tuus sum, erudi ergo me, ut intelligam tuas obtestationes.

Est autem Domino tẽpus idoneũ ut agat: siquidẽ ruperunt legem tuam.

Quamobrem præcepta tua amavi magis quàm aurum & obrizum:

Eámque ob rem omnes constitutiones universas defendo ut rectissimas: omnem autem semitam fallacẽ odio prosequor.

Pe ꝑ

Quia mirificæ sunt obtestationes tuæ: ideircò anima mea conservavit eas.

Ingressus verborũ tuorũ lucẽ offert, & erudit simplices:

Eóque aperio meũ os, & traho anhelitum, quia præcepta tua desidero.

Respice ad me, & benignè mecum agito, ut assoles facere erga nominis tui amatores.

Formato gressus meos eloquio tuo, ne dominetur mihi ulla vanitas.

Redi-

Redimito me ab oppressione humana, vt custodiã tuas cõstitutiones:

Et serenum vultum ostende seruo tuo, ac doce me tua decreta.

Riui aquarum descendunt ab oculis meis propter illos qui non custodiunt legem tuam.

Zade x

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Omnino autem præcepisti iustitiam obtestationum tuarum.

Conficit me indignatio mea, quod hostes mei obliti sunt verborum tuorum.

Est eloquium tuum purgatissimũ, idque seruus tuus amat.

Parvus quidem & contẽptus sum: non tamen obliviscor constitutionũ tuarum:

Iustitia tua sempiterna est iustitia, & lex tua veritas.

Periculum & angustia deprehenderunt me, tamen præcepta tua mea deliciæ sunt.

Iustitia obtestationum tuarum æterna est: erudi ergo me, ut viuam.

Koph

Koph. P

Quia clamo toto corde, annue mihi Domine, ut conſervem decreta tua.

Quia te clamo, ſerva me ut cuſtodiã obteſtationes tuas.

In crepuſculo antevertens clamo, & habeo ſpem in verbo tuo.

Oculi mei antevertunt vigilias, ut differam aliquid de tuo eloquio.

Vocem meam exaudi Domine pro tua benignitate, & recrea me ſecundũ iudicium tuum.

Propiùs me acceſſerunt ſectantes ſcelus, qui longè diſceſſerunt à lege tua:

Tu quoque pręſtò ades Domine, & omnia præcepta tua veritas.

Quod iampridem novi ex obteſtationibus tuis, quoniam æternum eas fundaſti.

Res ר

Reſpice miſeriã meam, & eripe me: quoniam tuæ legis non ſum oblitus.

Age cauſam meã, & me vindica, & recrea me oblato eloquio tuo.

Longè abſiſtit ab impiis ſalus: quia decreta tua non inquirunt.

Plurima eſt miſerecordia tua Do-

mine, quocirca recrea me secundum iudicium tuum.

Multos quidem habeo persecutores & hostes non tamen deflexi à tuis obtestationibus.

Videns præuaricatores meipsum excrucio, eo quòd eloquium tuum nõ custodiunt.

Respice quòd constitutiones tuas amem, propterea ô Domine recrea me pro tua benignitate.

A primo tempore quo in hominũ notitiam veni, verbum tuum veritas est, & omne iudicium tuæ veritatis æternum est.

Sin v

Principes me persecuti sunt absque, eor autem meum reueretur verbum tuum.

Lætor equidem in eloquio tuo tanquam is qui opima spolia reperit.

Mendacium odi, & abominor: tuã autem legem amo.

Septies in die laudo te, propter iudicia tuę iustitiæ.

Magna fœlicitas parata est amantibus legem tuam, quiq; non impingunt in aliquod offendiculum.

Ex-

Expectaui tuam salutem Domine, máque interim præcepta executus sum.

Et anima mea custodiuit tuas obtestationes, quas ego valdè amo:

Et custodio tuas cõstitutiones tuásque obtestationes: nam oẽs viæ meæ tibi expositæ sunt.

Thau n

Perveniat meus clamor ad te Domine, & erudi me secundum verbum tuum.

Perveniat ad te precatio mea, & eripe me secundum eloquium tuum.

Promant labia mea laudem, quùm docueris me decreta tua.

Reddat lingua mea eloquium tuũ: nam omnia tua præcepta sunt veritas.

Adsit tua manus, quæ mihi opẽ ferat: quia elegi tuas constitutiones.

Desidero tuam salutem, Domine, tuaq; lex deliciæ meæ sunt.

Vivat anima mea, & te laudet, tuúmque iudicium ferat mihi opem.

Erravi ut ovis quæ it perditum, verùm require seruum tuum, quoniam præcepta tua non sum oblitus.

Psal. 120.

Canticum graduum.

DOminum in magno meo periculo clamavi, qui annuit mihi.

Libera Domine animā meā à labio mendaci, & à lingua dolosa.

Quid inferat tibi Deus, aut quam tē adhibeat tibi ô lingua dolosa?

Pariter sagittis acutis, quas vir fortis intorquet, & carbonibus iuniperorum similis est.

Hei mihi qui peregrinor inter Mesech, & ago in tentoriis Cedar.

Diu anima mea degit cum odientibus pacem.

Nam studeo paci, sed quùm loquor, ipsi ad bellum parati sunt.

Psal. 121.

Canticum graduum.

LEvo meos oculos ad montes, unde nam veniat auxilium meum.

Auxilium meum venit à Domino conditore cœli & terræ.

Non finet pedem tuum vacillare, neque dormiscet custos tuus.

Ecce non dormiscet, neque dormiet qui custodit Israelem.

Dominus custodit te, Dominus ēt

vmbra

vmbra tua adstans tibi ad dexteram.

Ideò sol interdiù non te percutiet radiis, neq; luna noctu.

Dominus custodiet te ne accidat vllũ malũ, & custodiet animam tuam.

Dominus custodiet te quæcunque agentem ab hoc tempore in æternũ.

Psal. 122.

Canticum graduum Dauidis.

LAEtor quùm mihi dicunt, Eamus ad domum Domini.

Steterunt pedes nostri, ô Iurusalẽ, in portis tuis.

Ierusalẽ ędificata est, ut sit ciuitas in qua simul consociantur homines:

Ad quam ascendunt tribus, nempe tribus Dei, ex obtestatione qua Israelitæ obstricti sunt, ut confiteantur nomini Domini.

Illic enim cõstitutę sunt sedes ad iudiciũ, nempe sedes domus Davidicæ.

Precamini fœlicitatem ipsi Ierusalem, ac benè sit iis qui diligunt eam.

Sit inquite pax intra tua propugnacula, & prosperitas in palatiis tuis.

Propter fratres meos & amicos meos loquar quod tuam fœlicitatẽ conternar.

Etiam propter domum Domini Dei nostri quæram quod prosit tibi.

Psal. 123.

Canticum graduum.

AD te leuo meos oculos, ad te inquam qui habitas in cœlis.

Ecce quemadmodum oculi servorum intenti sunt ad manum dominorum suorum, & quemadmodum oculi ancillæ ad manum suæ dominæ: sic nostri oculi conversi sunt ad Dominum Deum nostrum donec nobis benefaciat.

Benignè agas nobiscum Domine, benignè agas nobiscum, quia valdè saturati sumus contemptu.

Multo iam tempore anima nostra satiata est irrisione opulentorum, & contemptu superborum.

Psal. 124.

Canticum graduum Davidis.

NIsi Dominus qui pręstò nobis est, iuvisset, dicat nunc Israel:

Nisi Dominus qui pręstò nobis est iuvisset, insurgẽtibus in nos hominibus,

Vivos iam nos deglutivissent, quùm ira in nos æstuârunt:

Iam ut aquæ nos inundassent, & tor-

torrens caput nostrum superasset,

Iam aquæ tumidę superassent animam nostram.

Prædicandus est nobis dominus, qui non tradidit nos prædam eorum dentibus.

Anima enim nostra erepta est laqueo aucupũ, & laqueo perrupto nos erepti sumus.

Est ergo nostrum auxilium in nomine Domini cõditoris cœli & terræ

Psal. 125

Canticum graduum.

QVi fidunt Domino, vt mons Sion, non mouebuntur sed permanebunt æternum.

Quemadmodum circum Ierusalẽ sunt montes, ita Dominus circum suũ populum ab hoc tempore in æternũ

Non enim permanebit impietatis pertica in sorte iustorum, ne iusti manus suas admolianiur iniquitati.

Benefac domine bonis, & eis qui sunt proba mente.

Eos autẽ qui deflectunt ad suas pravitates, ducat dominus damnatos cũ facinorosis, & incolumitas sit Israeli.

Psal. 126.

Canticum graduum.

QVùm Dominus restituet postliminiò ipsam Sion videbimur nobis per somnium mala pertulisse.

Túncque os nostrum risu implebitur,& lingua nostra iubilo:tunc dicét inter Gentes,Dominus res maximas cum istis egit

Dominus revera res maximas nobiscum egit,nosq; læti facti sumus.

Reduc Domine nostram captivitatem,ut torrentes Austro siccos.

Qui seminant cum lachrymis,cum iubilo metent.

Qui portat vas seminarium,perget flendo: sed portans manipulos suos subinde redibit cum iubilo.

Psal. 127.

Canticum graduum Salomonis.

NIsi Dominus ædificet domum, frustrà molestias perferunt qui eam ædificant:nisi Dominus custodiat civitatem, frustrà vigilat custos.

Frustra est quòd mane surgitis, & serò quietem capitis, edentes cibum doloribus partũ: quùm Deus interim charis hominibus somnum concedat.

Ecce

Ecce liberi sunt hæreditas Domini, & fructus ventris est præmium.

Liberi in iuventute obtingentes similes sunt sagittis manu validi viri missis.

Et beatus est qui pharetrã suã illis implevit, quia non pudefient, quùm disceptabunt cũ suis æmulis in porta.

Psal. 128.

Canticum graduum.

BEatus est qui timet Dominum incedens per vias ipsius:

Nam labore manuum earum partaedes, beatus eris, & optimè habebis.

Vxor tua erit similis viti fructiferæ in lateribus domus tuæ, filíque tui similes plantulis olivarum circum mẽsam tuam.

Ecce enim sic fœlix reddetur vir, qui timet Dominum.

Fœlicem te reddet Dominus è Sion, ut spectes sospitatem Ierusalẽ omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum & saluum statum Israelis.

Psal. 129.

Canticum graduum.

SAEpiùs oppugnaverunt me à iuventute mea, dicat nunc Israel:

Sæpiùs inquam oppugnaverunt me à inventute mea, cæterùm non prævaluerunt mihi.

Araverunt in dorso meo aratores, & longos duxerunt sulcos:

Dominus autem iustus dissecuit funes impiorum.

Pudefiant, & repellantur retrorsùm quotquot odio prosequuntur ipsam Sion.

Et similes evadant fœno quod in tectis nascitur, quod arescit antequá quisquam evellat,

Ita ut metens non impleat manum suam, neque sinum suum qui manipulos colligit:

Neque prætereuntes dicunt, Benedictio Domini vobis obtingat, nec dicunt inquam benè precamur vobis in nomine Domini.

Psal. 130.

Canticum graduum.

EX profundo malorum te voco Domine,

Domine audi vocé meã, tuęq; aures sint intentæ ad vocem meæ precationis.

Si

Si enim iniquitates obſervare velis ô Deus, Domine quis ſubſiſtet?

Verùm apud te clementia eſt, & propter eà timeris.

Ideò expectavi Domine, expectavit & anima mea, & in verbo tuo ſpẽ habeo:

Anima mea expectat Dominũ ab agentibus vigilias matutinas uſq; ad agentes vigilias matutinas.

Iſrael præſtoletur Dominum: quia benignitas eſt apud Dominum, & copioſa redemptio apud eum eſt,

Qui redimet *Iſrael*em ab omnibus ſuis iniquitatibus.

Pſal. 131.

Canticum graduum Davidis.

DOmine cor meum non ſuperbivit, neq; oculi mei elati fuerunt, neque oſtentavi res magnas, nec quæ non conceſſe fuerant, arrogavi mihi.

Malè ſit mihi ſi non comparavi, & ſimile iudicavi animam meam puero ablactato apud matrem ſuam: éſtque anima mea in me ſimilis puero ablactato.

Iſrael præſtolare Dominũ ab hoc tempore in æternum.

Psal. 132.

Canticum graduum.

MEmento Domine omnium qui-tus afflictus fuit Dauid, ut ei bono sit,

Qui iurauit Domino,& vouit potẽti Deo Iacobi.

Malè sit mihi,si tabernaculum domus meæ subiero si conscendero sp̃odam lecti mei,

Si concessero meis oculis somnum, & palpebris meis dormitionem,

Donec inveniam locum Domino & habitacula potenti Deo Iacobi,

Quem audivimus in Ephrata, & inuenimus eum in agris syluestribus,

Adeamus habitacula eius,& adoremus scabellum pedum eius,

Surge Domine pervẽturus ad requiẽ tuã,tu & arca tuæ fortitudinis.

Sacerdotes tui iustitiam induant,& homines tui benigni iubilent.

Non repulsam à te accipiat unctus tuus propter Davidem servum tuum.

Iuravit Dominus Davidi veritatem, neque discedet ab ea,De fructu vẽtris tui aliquem solio tuo imponam.

Si

Si custodierint filii tui fœdus meũ & obtestationes illas quas docebo eos, etiam ipsorum filii sedebuut tibi in solio in æternum tempus.

Nam Dominus elegit Sion, & expetiuit eam sibi sedem.

Inquiens, Hæc mea est requies sẽpiterna, hic habitabo, quoniam expetivi eam.

Annonam eius magna fœlicitate cumulabo, & pauperes eius pane saturabo,

Ac sacerdotes eius induam salute, eiúsque benigni homines impensè iubilabunt.

Ibi cornu Davidi germinare efficiã, & lucernã paravi uncto meo.

Cuius inimicos induam pudore, super ipsum autẽ efflorebit diadema ipsius.

Canticum graduum Davidis.

Psal. 133.

ECce quàm bonũ & quàm iucũdũ est, si fratres etiam cohabitent.

Perindè est acsi vnguentum bonũ capiti infusum descendat in barbam in barbam inquam Aharonis, quod descendat in capitium vestimentorum

Sicut ros montis Hermon,& utroi qui descendit in montes Sion: quia Dominus mandavit ibi esse benedictionem,& vitam sempiternam.

Psal. 134.

Canticum graduum.

ECce prædicate Dominum omnes servi Domini, qui statis in domo Domini etiam noctu.

Tollite manus vestras cum sanctitate,& prædicate Dominum.

Donet te fœlicitate Dominus è Sió, qui condidit cœlum & terram.

Psal. 135.

Halleluia.

LAudate nomen Domini, vos servi Domini laudate inquam,

Qui statis in Domó Domini,in atriis domus Dei nostri.

Laudate Deum, quia bonus est Dominus:& psallite nomini eius,quia iucundum est:

Deus enim elegit sibi Iacobum,& Israelem in suum peculium.

Scio enim quòd magnus sit Dominus,& Dominus noster antecellatónes deos:

Qui fecit quæcunque voluit in cæ

lo & in terra, in mari & & omnibus abyssis.

Qui elevat nubes ab extremitate terræ, & fulgura convertit in pluviam, educí que ventum è suis thesauris.

Qui percussit primogenita Ægypti pariter in genere hominum, & in pecore.

Et immisit signa & portenta AEgypto mediæ, ipsiq; Pharaoni & omnibus servis eius.

Qui percussit gentes plurimas, & occidit potentissimos reges.

Ipsum nimirũ Sihon regem Amorthæorũ, & Og regem Basanitidis, & omnia regna Chananæorum:

Dedítque terrã ipsorũ hereditariã, hereditariam suo populo Israel.

O Domine tuum nomen æternum est, ô Domine tua memoria sempiterna est.

Dominus enim iudicabit suum populum, & de servis suis solatium reportabit.

Simulachra Gentium sunt argentea & aurea, opus quod manibus hominis producitur,

Habent

Habent enim os, & non loquuntur: habent oculos, & non vident.

Habent aures, & non audiunt, nasum habent, nullus tamen flatus est in ore ipsorum.

Quibus similes evadant qui ea faciunt, & quicunque fidit eis.

O domus Israel prædicate Dominum, domus Aharonis prædicate dominum:

Domus Levi prædicate Dominũ, ô timentes Dominum, prædicate dominum.

Prędicandus est Dominus è Siõ, qui Ierusalem inhabitat. hallelu-ia.

Psal. 136.

CONfitemini Domino, quoniã bonus est quoniã benignitas ipsius sempiterna est.

Confitemini Deo deorũ: quoniã benignitas ipsius sempiterna est.

Confitemini Domino dominorum: quoniam benignitas ipsius sempiterna est.

Qui solus edit ingentia miracula, quoniam benignitas ipsius sempiterna est.

Qui cœlum condidit cum intelligentia,

gentia, quoniã benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui extendit terram ſuper aquas, quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui fecit luminaria magna: quoniã benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Solẽ qui dominiũ teneret diei: quoniã benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Et lunã atque ſtellas, quæ dominiũ tenerent noctis: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui percuſſit AEgypti primogenita: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Et Iſraelem eduxit è medio ipſorum: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Manu valida, & brachio extento: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Et ſidit Mare rubrum ſectionibus: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Ac traduxit per illud Iſraelem: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Subuertit autem Pharaonẽ & eius exer-

exercitum in Mari rubro: quoniã benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui deduxit populum ſuum per deſertum: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui percuſſit reges magnos: quoniã benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Et occidit reges potẽtiſſimos: quoniã benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Ipſum Sihon regem Amorrhæorum: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Et Og regẽ Baſanitidis: quoniã benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Dedítque terram ipſorum hereditariam: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Hereditariã Iſraeli ſervo ſuo: quoniã benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui memor fuit noſtri quùm eſſemus oppreſſi: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Nós que aſſervit ab hoſtibus noſtris: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui cibum dat omnibus animantibus: quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Con-

Confitemini Deo cœli: quoniã benignitas ipsius sempiterna est.

Psal. 137.

AD flumina Babylonis sedemus, & lachrymamur, quùm ipsius Sion memoria subit:

Nostrásque citharas suspẽdimus in salices quæ sunt in ea.

Ibi enim petierunt à nobis carmina, & qui velut in acervos nos redegerunt, lętitiam petierunt, dicẽtes, canite nobis carmen aliquod de Sion.

Quomodò autem caneremus carmen Domini in terra aliena?

Si tui obliuiscar ô Ierusalem, obliuiscatur dextera mea artis musicæ:

Et hæreat lingua mea palato meo si non tui meminero, & si non meę lętitiæ memoriam ipsius Ierusalem infero.

Memento Domine vt se gesserint filii Edom, quùm Ierusalẽ vastaretur, dicentes, Evacuate, evacuate usque ad ipsius fundamentum.

O filia Babylonis, quę vastaris, beatus est qui reddet tibi ea quæ nobis intulisti.

Beatus qui apprehendet, allidet-

que tuos infantes ad petram.

Davidis.

Psal. 138.

CONfitebor tibi toto corde meo, & coram iudicibus psallam tibi.

Adorabo in templo tuo sancto, & confitebor nomen tuum propter benignitatem tuam, & propter veritatē tuam, quia eloquium tuum excellentius fecisti omnibus quæ prędicantur de te.

Quo die te vocavi annuisti mihi, & animo meo robur amplius indidisti.

Quare confitebuntur tibi DOMINE omnes reges terræ, quia sermonis oris tui audiverunt.

Et cantabūt vias DOMINI, quia magna est DOMINI Maiestas.

Nam DOMINUS sublimis existit, & tamē quod humile est, intuetur: & quod altum est eminùs cognoscit.

Quùm versabor in medio periculo, recreabis me: & manum naso meorū inimicorum impinges, meq; servabit dextera tua.

Dominus perficiet quod in me inchoavit, DOMINE tua benignitas sēpiterna, est nec opera manuum tuarum omittes.

Psal.

Psal. 139.

Præfecto cantorum Davidis hymnus.

DOmine tu me ſcrutatus es, & pernoviſti.

Tu noſti ſiue ſedeã, ſiue ſurgã, & procul intelligis cogitationem meam.

Inceſſum meum & accubitum meum eventilaſti, & omnes vias meas exploratas habes.

Quia non eſt verbũ in lingua, meũ quod non vniverſũ noveris Domine.

A tergo & à fronte me finxiſti, & mihi admolitus es manum tuam.

Admirabilem in me formando ſcientiã exhibuiſti, & ſublimiorẽ, quàm ut eam poſſim attingere.

Quò diſcedam â ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?

Si enim aſcendero in cœlum, tu ibi es: & ſi ſternam lectum meum in inferno, tu ades.

Si ſumam pennas auroræ, & habitẽ in extrema parte maris:

Etiam ibi manus tua reget me, & dextera tua prehendit me.

Et ſi dicã, Verùm tenebræ me cõtegent: etiã nox ipſa lux eſt circa me.

Ac ne tenebræ quidem aliquid tibi

bi occultant. & nox ut dies lucet, tenebræque & lux tibi iuxtà habentur.

Tu enim possides renes meos, & me contexisti in ventre matris meæ.

Tibi confiteor quòd miris & stupendis modis formatus sim, quódque eximia sint opera tua quę optimè novit anima mea.

Robur meum non tibi occultatum est, quùm in abstruso formarer, & velut opere Phrygio effingerer in novissimis terræ partibus.

Oculi tui me viderunt quùm essem fœtus informis, & in libro tuo universa membra descripta fuerunt, quę deinceps multis diebus formarētur, quibus ne unus quidem dies apud te cōficitur.

Cęterùm ô Deus, quàm paucas tuas cogitationes assequor, & grandes summæ excrescunt?

Quas si numerare velim, plures sunt quàm arena, & expergrectus adhuc de te cogito.

Siquidē occîdis impium ô Deus, discedant à me sanguinarii.

Qui hostes tui loquuntur audaciſſimè, & vsurpant nomen tuum temerè.

Annon

Annon Domine odissem inimicos tuos, & meipsum excruciarem, quùm tibi resistunt?

Imò consummato odio illos persequor, mihíque erunt hostes perpetuò.

Scrutare me Deus, & cognoscito cor meum: proba me, & cognoscito cogitationes meas:

Et videto num machinet aliquid pravi, ac deduc me in viam universis in mundo calcandam.

Psal. 140.

Præfecto canterum, hymnus Davidis.

ERipe me Domine à pravo homine, & à violéto viro me conserva,

Qui machinãtur in corde mala, & quotidiè concurrunt ad bella:

Suámque linguam acuerunt ut serpens, & venenum aspidis est in labiis eorum. Sela.

Custodi me Domine à manibus impii, & conserva me à violẽto viro, qui cogitant impellere gressus meos.

Superbi enim absconderunt mihi laqueũ & funes, rete quoque propter tramitẽ extenderunt, & laqueos mihi posuerunt. Sela.

Tunc dixi Domino, Tu es Deus meus,

meus, Domine percipito auribus vocem mearum precum.

Domine Domine fortitudo ad me servandum, tu protegis caput meum, quo die arma capienda sunt.

Ne facias Domine impium desiderio rum suorũ compotẽ, néue conatus eius provehas vt superior sit. Sela.

Tum caput hostiũ undique me prementium, tum alios operiat malum quod labiis suis struxerunt.

Carbones in eos provoluantur, & Deus igne illos prosternat celeriter, ne resurgant.

Vir linguax non sit stabilis in terra, & virum violentum malum venetur, ita ut præceps impellatur.

Scio quòd Dominus faciet iudiciũ in causa humilis, & iudicium in causa pauperum.

Profectò iusti confitebuntur nomini tuo, & probi permanebunt in conspectu tuo.

Psal. 141.

Hymnus Davidis.

DOmine te voco, quare ad me festina, meámque vocem auribus percipe cùm ad te clamo.

Valeat

Valeat precatio mea pro incẽſo ante te, ac levatio manum mearum pro veſpertino ſacrificio.

Appone Domine cuſtodiam ori meo, & quod conſeruet oſtium labiorum meorum.

Ne flectas cor meum ad rem quãcunque prauam, nequid moliar cum impietate coniunctum, vtens opera facinoroſorum hominum, neque fruar deliciis ipſorum.

Percutiat me iuſtus benignitate, & arguat me, neq; vnguentum optimũ offendat meum caput: nam ita perſtabo, & precatione utar, quùm iſti mihi mala ſtruunt.

Demitentur iudices eorum per loca ſaxoſa, & audient meos ſermones, ſiquidem iucundi erunt.

Oſſa noſtra morti proxima diſperſa ſunt, perinde ac ſi quis ligna findat aut terram proſcindat.

Ad te enim Domine Domine oculi mei coniecti ſunt. & in te ſpem habeo, ne igitur profundas meã animã.

Cuſtodi me, ne incidam in laqueũ quem mihi tetenderunt, neque in tẽdiculas facinoroſorum.

Implíque simul incidant in cassés suos, ego autem usque progrediar.

Psal. 142.

Eruditum carmen Dauidis, precatio videlicet quùm esset in spelunca.

VOce mea Dominum clamabo, meaque voce ad Dominũ precabor.

Effundam ante illum eloquium meum, eíque exponam meũ periculũ

Quùm deficit in me spiritus meus, tu nouisti semitam meam & quòd laqueum mihi abscondérunt in uia per quam ambulo.

Dum respecto ad dexteram, & uideo non est index mihi & effugium mihi precluſum est, nec quisquam rationem habet animę meæ.

Proinde Domine te clamo, ac dico, Tu es meum confugium, & sors mea in terra viuentium.

Auscultа meũ clamorẽ, quia valdè inops sum meque à persecutoribus meis eripito, qui prævaluerũt mihi.

Et educ animam meam è carcere, vt confitear nomen tuum, ac iusti coronas imponant sibi propter me, quia in me beneficia contuliſti.

Psal.

Psal. 143.

Carmen Davidis.

AVdi domine supplicationē meam, & percipe meas preces, & per tuam fidem atque iustitiam tuā exaudi me:

Ne ambules tamen in ius cum servo tuo: nullus enim vivens, coram te iustus est.

Inimicus enim persequitur animā meam, & vitam meam humū afflixit méque detrusit in loca tenebricosa velut iam olim mortuos.

Meúsque spiritus in me deficit, & cor meum intra me stupuit.

Recolo tamen tempora superiora, & de omnibus factis tuis commentor ac differo de opere manuum tuarum.

Expando manus meas ad te, & anima mea te optat ut terra siticulosa. Sela.

Citò exaudi me Domine, quia spiritus meus defecit, neque mihi occultes faciē tuam, alioquì similis factus sum descendentibus in foveam.

Fac ut manè audiam benignitatem tuam, quoniam tibi fido, &

mõstra mihi viam quam ingrediar, siquidem te affecto.

Eripe me inimicis meis Domine, nam apud te me abscondi.

Doce me vt perficiam voluntatem tuam, quia tu es Deus meus tuúsque spiritus bonus deducat me per terrã planam.

Recrea me Domine propter nomẽ tuum, & animam meam periculo eripe per tuam iustitiam.

Et excinde inimicos meos per tuã benignitatem, ac perde vniuersos hostes animæ meæ, siquidem seruus tuus sum.

Psal. 144.

Dauidis.

PRedicandus est Dominus rupes mea, qui assuefacit manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellũ.

Benignitas mea, & munitio mea arx mea, & liberator meus, ac clypeus, in quo spẽ habeo, qui mihi subdit populum meum.

Domine quid est homo quòd rationem illius habeas: & filius hominis, quòd cogites de eo?

Homo vanitati similis est, & dies eius

eius vmbræ prætereunti.

Inclina, Domine cœlum tuum, & descende, tange montes ut fument.

Iaculare fulmen, & dissipa eos, & mitte sagittas tuas, ac turba eos.

Missis manibus tuis de excelso erue me, ac eripe aquis multis, & manui alienigenarum:

Quorum os loquitur vanitatem, & dextra eorum patrat iniquitatem.

O Deus canam tibi novum carmé, & psallam tibi nablo decachordo.

Qui confert salutem regibus & subtraxit Davidem servum suum gladio noxio.

Erue me, & eripe me manui alienigenarum, quorum os loquitur vanitatem, & dextera eorum patrat iniquitatem.

Vt filii nostri adolescant in iuventute sua velut plantæ, & filiæ nostræ similes sint anconibus, & ornatæ ad formam palatii.

Sintque cellæ nostræ plenæ, exhibentes annonam perpetuam, ovesq; nostrę pariant mille & decies mille in vicis nostris.

Boves nostri sub onere exercean-

tur, non sit ruptura murorum, non quisquam abiens in exilium, non cui clamor in plateis nostris.

O beatum populum cui contigit ita vivere: beatum inquam populum cuius Deus est Dominus.

Psal. 145.

Laus Davidis.

א EXtollam te, ô mi Deus Rex, & prædicabo nomen tuum sempiternis temporibus.

ב Quotidiè prædicabo, & nomen tuum laudabo sempiternis temporibus.

ג Magnus est Dominus, & impensè laudandus, cuius magnitudo imperuestigabilis est.

ד Omnia sęcula laudibus ferũt opera tua, & fortia facta tua referunt.

ה De maiestatis glorię tuę decore, & rebus tuis admirandis differam.

ו Prędicabunt homines robur admirandorum operum tuorum, & ego narrabo magnitudinem tuam:

ז Tuæque bonitatis ingentis memoriam homines proment, & iustitiam tuam læti cęlebrabunt.

ח Dominus

n Dominus enim beneficus est & misericors, patiens & magnæ benignitatis.

o Bonus est Dominus in omnes, & misericordia eius superat omnia opera ipsius.

p Tibi ideò Domine confitétur omnia opera tua, & benigni tui homines te prædicant.

q Maiestatem regni tui narrant homines, & de tua fortitudine loquuntur,

r Vt fortia tua facinora, & maiestatem decoris regni tui exponant hominibus.

s Regnum tuum regnum est sempiternum, & dominium tuum per sæcula vniversa durat.

t Dominus fulcit omnes corruentes, & erigit omnes inclinatos.

u Omniũ oculi te morantur, túque illis cibum suum præbes tempestiuè.

x Tu aperis manum tuã, & saturas desiderium omnium animantium.

y Iustus est Dominus in omnibus viis suis, & benignus in omnibus operibus suis.

z Præstò adest Dominus omnibus

bus vocantibus eum, omnibus eū vocantibus eum veritate.

ך Facit autem quicquid volunt timentes eum, & clamorem eorum exaudit, ac seruat eos.

ש Dominus custodit ōnes diligētes ipsum, perdit autem omnes impios.

ת Domini laudes proferet os meum, omnisque caro prædicabit nomē ipsius sanctum temporibus sempiternis.

Psal. 146.

Hallelu-ia

ANima mea lauda Dominū Equidē Dominū laudabo dum vivā, & psallam Deo meo dum superstes ero.

Nolite fidere principibus, aut homini qui seruandi facultatem non habet:

Cuius corpus redibit in terram suam ubi animam efflauerit, tūncque occidunt omnes ipsius cogitationes.

Beatus est qui Deum Iacobi habet in suis auxiliis, & spē in Domino Deo suo,

Qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, quiq; custodit æternum veritatem.

Qui

Qui vindicat oppressos, & panem præbet famelicis, Dominus soluit vinctos.

Dominus aperit oculos cæcorum, Dominus erigit inclinatos, Dominus amat iustos.

Dominus custodit peregrinos, evehitque orphanum & viduam, depravat autem viam impiorum.

AEternum regnabit Dominus, & per omnia sęcula Deus tuus ô Sion, hallelu-ia.

Psal. 147.

LAudate Deum, quia Deo nostro psallere, bonum, & iucundum est, & decet laudes impendere.

Dominus enim ædificabit Ierusalē, & congregabit profugos Israelitas.

Qui sanat fractos corde, & medetur ipsorum doloribus.

Qui stellas in numerato habet, ac universas vocat nominibus.

Magnus est dominus noster, & ingentis potentiæ, cuius intelligentia innumerabilis est.

Dominus enim evehit māsuetos, & deprimit impios usque ad terram.

Alternis canite Domino cum grati-

triarū actione, & psallite Deo nostro cum cithara.

Qui operit cœlum nubibus, & parat pluviam terrę, & producit fœnum in montibus:

Qui dat pecori suum pastum, & pullis corvorum qui eum vocant.

Non probat fortitudinem equi, neq; delectatur tibiis viri.

Delectatur autem Dominus timentibus ipsum, quíque præstolantur ipsius benignitatem.

Laudibus Dominum prosequere Ierusalem, túque Sion lauda Deum tuum:

Quia roborat vectes portarum tuarū, & filiis tuis qui sunt intra te fœlicitatem donat.

Qui pacē constituit intra fines tuos & te saturat adipe frumenti.

Qui mittit eloquium suum terræ ut verbum eius celeriter currat,

Qui dat nivē tanquam lanā, & pruinam spargit ut cinerem.

Et proiicit glaciem suam ut laminas: quis frigus ipsius sustinebit?

Missóque verbo suo liquefacit ea, & vento suo afflat ut aquæ fluant.

Nuntiat

Nuntiat autem verbum ſuum Iacobo, & decreta ſua & iudicia ſua Iſraeli.

Non egit ad hunc modũ cum omnibus gentibus, neq; manifeſtavit eis iudicia. Hallelu ia.

Pſal. 148.

Hallelu ia.

LAudate Dominũ cœlites, laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes exercitus eius.

Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ claræ.

Laudate eum cœli ſupremi, & aquę quæ ſupra cœlos ſunt.

Hæc inquam laudent nomen Domini: ipſo enim iubente creata ſunt.

Eáque ſtabilivit, ut æternùm perſtent, ac legem præſcripſit, quam trãſgredi nequeunt.

Laudate Dominum terreſtres, dracones, & omnes abyſſi:

Ignis & grando, nix & exhalatio, ventus procellooſus, qui verbum eius proſequitur,

Montes & omnes colles, arbor fructifera & omnes cedri:

Beſtiæ

Bestia & omne pecus, reptile & avis pennata.

Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ.

Iuvenes & virgines, senes pariter & adolescentes:

Hi laudent nomen Domini, quia nomẽ ipsius subime est, cuius gloria superat terram & cœlum.

Et erexit cornu suo populo, & laudem omnibus suis benignis hominibus, filiis Israel, populo ipsi coniũcto. hallelu-ia.

Psal. 149.

Hallelu-ia.

CAnite Domino carmen novũ, & laudem eius in cœtu benignorũ.

Lætetur Israel in conditore suo, filiique Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen eius cum tibia, timpano, & cithara psallant ei.

Dominus enim favet suo populo, & ornat mansuetos salute.

Gestiant benigni cum honore, & iubilent in suis lectis.

Voces Deum extollentes sint in gutture ipsorum, & gladius anceps in manu eorum,

Vt in Gentes vleiſcantur, & corrigant populos:

Vt vinciat reges tuorum manicis, & magnates eorum compedibus ferreis:

Vt Deus vleiſcatur in eos, quemadmodum ſcriptum eſt: quod decori erit omnibus ipſius benignis hominibus Hallelu-ia.

Pſal. 150.

Hallelu ia

Laudate Deum in ſanctuario ipſius laudate eum in firmamento ſuæ potentiæ.

laudate eum ob fortitudinem ipſius, laudate eum pro eius eximia magnitudine.

Laudate eum clangore tubæ, laudate eum nablo & cithara:

Laudate eum tympano & tibia, laudate eum organis & fidicula.

Laudate eum cymbalis ſonoris, laudate eũ cimbalis reſonantibus.

Omnis ſpiritus laudet Deum hallelu-ia.

Pro officio totius Ecclesiæ in communi.

ROgamus te Domine Iesu Christe, Vt afflati spiritu, Verbum tuum audiamus, et custodiamus, illoq; admoniti, Peccata nostra, quorum stipendium mors est, deplorantes ad te qui es vita, & resurrectio, vnum confugiamus. Et quia infinita peri, cula quotidiè nos circumvallant, concede, vt spiritus gemitibus inenarrabilibus oret pro nobis, vt oportet, quo redempti, gratiæ tibi vni exhibeamus per quem vnũ ad nos bona omnia deveniunt. Quid enim aliud nostra inopia poterit, quàm petere à te & gratiam habere tibi de acceptis? Hic honor est cultus novi Testamenti, Deinde, quia membra sumus eorporis tui, & vnumquodq; suum vsum habet, oremus diligenter vt ad suam quisq; vocationem spectet, ne nostrarum partium pertæsi, curiositate levi, quæ ad alios pertinent, occupemus,

pemus, aut ne potiùs deprehẽdamur alienę diligentię vituperatores, q̃ benefactis propriis nauãtes operam. Neq; oculus vipote nobilior, viliores pedes præ se contemnat neq; manus cæca, ac surdæ, Oculorum, & aurium acrimoniam sibi & ignotam, & non competentem vindicent, ac diiudicens sicut inferiores eos, qui se sunt maiores, libenter, & perperàm solent diiudicare. Quin quisq; quod ex vocatione faciendũ sibi incumbit, id faciat sedulò: cui docendum, ad doctrinam capiendam appositè doctrinam moderetur: cui partes ministri competunt is susceptæ provinciæ concinnè respondeat cui exhortandum alios, is exhortationi congruentia meditetur, et agat, cui dandum aliis, is det simpliciter, qui præest, præsit solicitè: qui facultates habet erogandas in pauperes, elargiatur hilariter. Non dissimiliter in vocationibus ad hanc vitam pertinentibus affecti simus, æquo animo suam quisq; ferat conditionem, sive te Dominus magistratum, sive etiam subvicũ aut abiectius aliquid agere iusserit. Nam tu Domine æquissime non muneris splendorem sed obeuntis obedientiam considerας Abundè fuerit ad tranquillandũ animum, quòd scimus placere

ceve tibi Deo nostro, quod agimus, & præceptum esse à Domino, In labore vultus tui vesceris pane tuo. Ne sinas nos huic verbo immorigeros, otio & luxu perire. neq; nostra quæramus, sed quæ aliorum, & quæ sunt Jesu Christi. Da nobis mutuam dilectionem, ut simus vnamines, similiter affecti, misericordes, affabiles, non retaliantes malum malo, aut convitium convitio, sed contrà benedicentes. Et quicquid ab aliis expectamus, idem & nos præstemus vicissim, vt adimpleamus legem Christi. Amen.

Pro Regina.

Cùm tuâ singulari, & eximia providentia, omnipotens Deus hunc populum constituueris regia potestate gubernandum: thesauros potentiæ tuæ, ac omnium virtutum divitias ad Reginam nostram Elizabethã ornandã largiter effundas quò tibi perpetuo glutine fidei, atq; iustitiæ copuletur. Vnde chara, gratiosáq; omnibus ordinibus, quoscunq; tibi placuerit subdere

te equis imperio, & ab hostibus eos tueatur, & mandatis tuis, cũ pace, & tranquillitate obtemperare faciat. Vt non solùm in præsentia, sed æternũ cũ ipsis, apud te fæliciter viuat, in Ecclesia syncerã Euangelii doctrinã promoueat, sacramẽta purgare et à grege dominico vitia resecare studeat in repub: verò, integra iudicia procuret, sana consilia in deliberãdo habeat: ad honorẽ nominis tui cũcta illi fælicissimè procedant: deniq; plebs tua libertatẽ ab hostibus, & à peccatis adepta, vnà cum ipsâ voluntati tuæ salutariter obsequatur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tempore pestilentiæ.

NOn est mirum ô iustissime pater, si variijs modis in nos sæuiunt elementa huius mundi, nunc terræ quassationibus, nunc tempestatibus ac fulminibus, nunc fluuiorum ac marium exundationibus, nunc cœlestium corporum exitialibus concursibus, nunc aëris infecti contagio, quis

tuis donis frequenter obtutimur. Agnoscimus creaturam hic quoq; seruientem atq; obedientem conditori suo, cuius præcepta nos toties negligimus: agnoscimus & paternam disciplinam, qua nos leniter correptos reuocas ab huius mundi fiducia, & ad æternæ vitæ desiderii attrahis: Supplices rogamus, vt in ira tua misericordiæ recorderis, & quibus offensus immisisti has afflictiones, propitiatus submoueas. Non multum nocebit pestilentiæ contagium, si nosmet à vitiorum contagio subducamus. Sed utrunque ô misericordiarum pater tui muneris est, primum vt mentem habeamus à malitiæ venenis liberam, & corpus à pestilentiæ contagio tutum. Qui in hac vitæ spei suæ finxerunt ancoram, in huiusmodi periculis confugiunt ad exquisita antidota, nonnulli ad certa diuorum nomina, quidam ad superstitiosas magorum artes: nos quibus persuasum est neminem manum tuam posse effugere, nihil arbitramur tutius, quàm ad te ipsum confugere, à iusto ad misericordem, vel ut ad iustissimam aram nosipsos recipere, qui nunquam destituis spem omnem in tua bonitate repositam habentes, quo protectore in tuto sunt & qui moriuntur.

Pro

Pro docilitate.

Audi præces nostras, æterna Patris sapientia Domine Jesu qui omni ætati docilitatis commodum addidisti, adde quæsumus ad naturę nostræ propẽsionem auxiliũ gratiæ tuæ, vt literas ac liberales disciplinas citiùs perdiscamus, sed tuę glorię servituras: quarum adminiculis adiuta mens nostra pleniùs aßequatur cognitionẽ sui quẽ nôße fælicitatis humanæ summa est, vtq; ad tuæ sanctißimæ pueritiæ explicũ indies proficiamus, ætate, sapientia, & gratia, apud Deum & apud homines, qui vivis, & regnas Deus in consortio patris, & Spiritus sancti in æterna sęcula Amen.

GRATIÆ.

Ante cibum.

NOs miseri, & egentes homines, pro cibo, quem nobis ad alimoniam corporis sanctificatum es largitus, vt eo vtamur gratè, tibi Deus omnipotens, Pater cœlestis, gratias reverenter agimus, simul obsecrantes, vt cibum Angelorum verum panem

nem cælestem, verbum Dei æternum, Dominum nostrum, Iesum Christum nobis impertiaris, vt illo mens nostra pascatur, & per carnem, & sanguinem eius, foveamur, alamur, & corroboremur. Amen.

Post cibum.

1 *QVandoquidem nos Domine donis tuis omnipotens & misericors Deus exatiasti, effice, vt quicquid per nos fieri aut secùs velis, diligenter observemus, atque illud animo syncero effectum præstemus per Christum Dominum nostrum. Amen.*

1 Domine salvam fac reginam:
2 Et exaudi nos quo die invocaverimus te.

2 *DEus, in cuius manu sunt corda Regum, qui es humilium consolator, fidelium fortitudo, protector omnium in te sperantium, da Reginæ nostræ Elizabethę, populoq́; Christiano triumphum virtutis tuæ scienter excolere, vt per te semper efferantur ad vitam per Christum Dominum nostrum.*

3 *Deus*

3 *Deus à quo derivatur omnis munificentia, & bonitas, debitas tibi gratias agimus, quòd fœlicis recordationis Regem Henricum, eius nominis octavum suo spiritu afflaveris, vt hanc nostram Ecclesiam institueret, & rogamus pro summa tua misericordia, vt cùm nos hoc tanto beneficio adiuti, ad laudem tui nominis profecerimus, vnà cũ ipso, & eius maioribus, & fidelibus omnibus, qui iam in Domino dormierunt, beatam resurrectionem, & æternæ fœlicitatis præmia consequamur, per Christum Dominum nostrum. Amen.*

FINIS.

Errata aliquot, quæ potissimùm inimica sensui incautè irrepserunt, hunc in modum restituas.

Pag. 3. irriſoram irriſorum, 5. exeurge exurge. 9. quoſque quouſque, 10. corripeat corripiat, 25 diligante diligam te, 25. me meus, 37. redigiſti redegiſti, 45. coligit colligit. 50. tum meum, 56. reveruntur reverentur. 79. minim eme minimè me, 102. glaudius gladius, 103. citheracithara.